

Bi  
gin




2



AUGUSTI  
DUCIS BRUNOVICENSIS  
& Luneburgensis  
FAMA  
non moritura,  
revocata

*Calamo*

JOANNIS HENRICI BOCLERI,



Typis STELLARUM.

---

M. DC. XLV.



**I**llustres virtutum titulos, ac dignas æternitate laudes, vel historia posteritati conservat, vel prædicatio viventibus interpretatur. Quorum ut illud communis mortalium favor ultro extollit: ita hujus non simplex æstimatio, quasi inter eruditos coorta, imperitis haud raro pro argumento rumorum fuit. Nec sanè abnuerim multos laudandi officio ita usos, ut neq; facundiæ rationes, neq; propositi, abundè viderentur subdixisse. Quo fit, ut minora rerum, & si rectè autumaveris, in levi habenda, superbis aliquando præfulgeant honoribus; atq; ex diverso, eximii magnitudo meriti cultu inani detrita obsolescat. Quin etiam, ubi satis in argumento tum consilii tum artis fuerit, majore adhuc auspicio opus est, ut relicta omni declamantium consuetudine, seria & prudens & in usum vitæ nata, ex ipsis rerum penetralibus altissimoq; sapientiæ recessu, emergat oratio: in qua tu nec historici gravitatem, nec

1 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

facultatem oratoris, nec philosophi disciplinā jure queas desiderare. In quo genere, sicut paucis ab omni ævo datum est præcellere, ita qui annalibus tale studium ausit postferre, neminem fortè inter eos, quibus altior liberalis Musæ intellectus est, licuerit reperire. Virtutis quippe indolem, morésq; & actum vitæ, quotusquisque penitus introspicere, aut, cùm introspexit, aliis explicare potuit? cùm tamen utrumq; ex eorum censu sit, quæ ut fiant, generis humani interest. Præsertim circa vitas Principum, curásq; Regum, per quos Divina sese bonitas mortalium cœtibus dispensat, suáq; terris munera dilargitur. Ut nec grati videatur, nec pii civis esse, ad tot beneficiorum nomina connivere; aut, ubi occasio celebrandi data est, negligentis silentio summarū momenta rerum transmittere. At enim sicut communi omnium officio Principalis meriti veneratio continetur: ita laudatio curatior ad prudentes pertinet: qui nunquam temerè aut per-

adu<sup>2</sup>

adulationem; semper autem cum ratione ac reverentia id muneris nōrunt usurpare. Hæc atq; talia dum repeto mecum in exordio hujus Scripturæ, quæ Illustrissimo Summi Principis nomini consecrata est, magna me invadere trepidatio poterat, si meopte auspicio consilioq; rem tantam aggredi, aut fiduciæ quidquam in meis ausus essem viribus collocare. Quamvis enim argumentum studio boni viri ac meditatione dignius, ne prudentum quidem vota potuissent excogitare; non pauca tamen erant, quæ me, auspiciatissimum nomen Tuum rudi calamo signare, aut in conspectum tam divini Herois mearum quidquam literarum prostituere, ò splendor rerum Principumque, AUGUSTE, prohiberent. Nunc majori auctoritate in hoc propositum traducto, omnis reponenda spes est in Tua bonitate, Princeps Serenissime: quæ si propitia admiserit pietatem hominis nulla, nisi simplicis devotionis obsequia edocti, non

4 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

est quod aliorum hominum iudicia vel timere cupiam, vel placare. Quid enim eloquentiæ nunc magistros aut præcepta dicendi verear, cum tantum sit auspicii, favoris, magnificentiæ in argumenti titulo, ut non minus difertis timorum confidentiam infringere, quam infacundis conatibus vim & robur & spiritum mutuari possit vel solum nomen Illius AUGUSTI Lunæburgici? cui quidquid adjunxerimus vocabulorum, minus erit uno vocabulo; quod & tot retrò seculorum decora, & venturi, qua qua patet, ævi amplitudinem mirabili compendio in se conclusit.

Magna est, & in omne virtutis, potestatis, majestatis, fortunæ ac auspicii Principalis decus pertinet titulorum series; quibus antiquitas sua humani generis rectoribus studia & obsequia approbavit. Sed quid in illis tam splendidum, tam laude dignum, tam sublime denique & augustum dari potest, quod in  
illu-



## FAMA.

5

illustrissima Ducum Brunsvicensium & Lunæburgensium prosapia, aut, si mavis, in solo AUGUSTO non occurrat? Origo generis ab ultima heroici sanguinis stirpe demissa: majores præcipuam terrarum partem gloria aut imperio amplexi: proavi Principes, Electores, Reges, Imperatores: affinitate ac matrimoniis nexa Europæ regna: meritorum gestarumque publicè rerum memoriâ cælo æquata: hæc eo magis propria Tibi sunt, AUGUSTE, quo majore fato familiæ tot annalibus memoratæ successio in Te recubuit: ut æternæ Domus claritudo & haberet exemplum singulare, & daret, unde vetusta gloriarum insignia collectim repeti, ac nova in posteros cumulate fas esset dimitti. Non enim obscura esse potest ista Divini circa generosas stirpes Numinis provisio: qua non certis modo laudum intervallis perennitatem earum viresque distinguit, sed solennes quasi circui-

A 4

tus

6 AUGUSTID. BR. LUNEB.

tus orbésq; inusitatis fulgoribus illustrat, Gloriæ militaris, ut ab hac ordiar, tum alii, tum VVelphones vestri grandia sæpe documenta dederant. at verò, cum *Henricus Leo*, tanquam alter *Mavors*, se in arma effudisset, cum ritu fulminis obvia prosterneret, remota terreret, tum demum potuit intelligi, quantum generosa nec magis ferro quàm indole sua animata virtus polleat. Dignitatum infulas, sceptras, tiaras abundè in domum vestram & sæpe fortuna intulerat: quæ ut muneris sui fidem ac modum consummaret, honoris omnis complementum, & augustalis fastigii apicem in *OTHONE Quarto* splendere voluit. nec segni tamen auctoramento. Quippe, ne quid imperatorii oneris parùm graviter experiretur, cum invidia & æmulatione, tanquam novus cum monstris *Hercules*, luctandum habuit. Est hoc etiam in fatis magnorum Principum singulare, quod neq; concuti publica, neq; concussa restitui possunt, nisi partem  
for-

fortuna ac discriminum ipsi sustineant. Igitur à multis seculis, nunquam domitas rebelliones, contusos imperiorum turbatores, fractos foris barbaros legimus: quin Vestros, A U G U S T E, casus titulosq; recognoscamus. Modò incitati ac ferventis seculi genio pares commodastis spiritus; modò tranquilliozem paci vultum indulistis: nunc consiliis Vestris acquievit Patria; nunc opem Vestram requisivit Gallia, Hispania, terrarum cæteræ. Lucet Vestris distincta meritis fastorum series atq; inter tot virtutum prodigia, Germanus ubique candor, & popularis gravitas, cum prisca fide, meros nobis *Arminios* ac *Maroboduos*, probata hostili quoq; iudicio nomina, longè lateq; ostentant. Sed nobis ad solemnia quædam virtutis vestræ tempora redeundum est. Commoverant se iterum fata Germaniæ, & ruebat imperium super imperatorem; cum è Magni Torquati sobole FRIDERICUS ille, cunctis ingenii dotibus animiq; artibus eminentissimus

8 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

Princeps, unus maximè visus est idoneus, qui pollutâ Venceslai probris Rempubli- cã pristino nitore vindicaret. Sed expecta- tionis quidem publicæ vota infame mox parricidium interceptit, oppressoq; inter ipsa augustissimi operis exordia Rege Ro- manorũ (jam enim hũc titulũ loco ritũq; soleñi acceperat) longis patriam tumulti- bus atq; cladib; involvit. Interim fortuna seriẽ beneficiorũ, quæ in res Germanicas ex hac domo destinaverat, abunde refe- ctura, fratribus Friderici BERNHARDO & HENRICO longissimã heroicæ posterita- tis successionem decrevit. Nam ex altero horum, *Duces Lunæburgenses*; ex altero *Brunsvicenses* seorsim deinceps numerati, nulla nõ fati publici, aut splendoris Prin- cipalis celebritate inclaruerũt. Tantorum nominũ sanctitatẽ, quæ cumulatis undiq; meritis, ex ævo in ævum, ex serie in seriem exsplendescit, veneror potius, AUGUSTE, quam capio: neq; quidquã magis neces- sarium aut minus cõcessum judico, quam  
sub-

substiterere ad singula, modò porrigere gradū, modò referre; nunc in latus excurrere, nunc in orbē circumagi, & cum numerosis laudib⁹ nō quidē paria facere, sed eodē tamē spatio incedere. Fuit eritq; hæc majoribus ingeniis ac operib⁹ cura: nunc illa vix licet fastigia signare, q̄ in æternis gloriarū vestrarū templis, tanq̄ pignora novi ac singularis muneris, benignū Numē voluit eminere. Ibat fortuna superioris seculi in novas rerū vices: & religionis Christianæ sidera, ut sic dicā, variis passim maculis infuscata magnam devotis mentibus tempestatē præfagire videbantur: nisi maturē serenitas illi antiqua cum fulgore incorrupto restitueretur. Sed, tentato primū negotio, præumbrabat graviter illa caligo, quā multorū oculis, nescio quē nitoris adoptivi opinio, ac speciosorum claritas nominū obduxerat. Igitur inter plena piculis omnia, multū trepidabat rectē sententiū pietas; donec excitati divino instinctu Heroës sumi ac Principes, in publicis, quæ

Augu-

10 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

Augustæ agitabantur, comitiis, gloriosis-  
simo Imperatori Carolo cum reverentia  
simul & fiducia disertè testati sunt: Inter  
manifestas religionis corruptelas, quæ  
subinde hominum temporumq; vitio in-  
vectæ propagatæq; erant, non posse se aliã  
de divinis sentiendi loquendiq; normã  
uti, quàm certissimã divinorum oraculo-  
rum formulã; à quibus quidquid discre-  
paret, nemini cum injuria obtrudi fas  
esse: itaq; se suosq;, quò minus Dei glo-  
riæ & animarum saluti rectiùs consule-  
rent, adeoq; nõ quidem ab Ecclesia, sed ab  
Ecclesiæ deliquis recederent, impediri nõ  
debere. Inter hos, inquam, tam generosos  
& magnanimos sacrosanctæ religionis  
vindices, qui presæ veritati primùm sunt  
ausi signum extollere ad bene sperandum,

**ERNESTUS & FRANCISCUS** Lunebur-  
gici, avus alter Tuus, **AUGUSTE**, alter  
patruus magnus, publicis perpetuisq; mo-  
numentis prædicantur. Ab eo tempore,  
provehendo, quod exorsa erat, operi illu-

stres

Atres passim officinas moliri divina cœ-  
 pit Providentia: ut, quas bonarum igno-  
 rantia literarum religioni offuderat tene-  
 bras, nova ubiq; doctrinarum lux dispel-  
 leret. Hac origine censerunt amanti præcla-  
 rissimæ per Germaniam Scholæ & Acade-  
 miæ. inter quas emicat

*IULIUM sidus, velut inter ignes*

*Luna minores.*

Quo enim potius nomine & similitudine  
 dicam æternum istud sapientiæ domici-  
 lium, cui JULIUS ille Vester, auspici-  
 um, decus, opes, & cum primis faustum de suo  
 nomine omen dedit? Ea certè in hunc  
 diem Academiæ Juliæ præfulgent merita,  
 quæ Illustrissimi conditoris famam, con-  
 sili-um, & divinam quandam felicitatem,  
 vivo perenni-que encomio, per litterati or-  
 bis ac seculorum, quantacunq; erit, am-  
 plitudinem circumferent. Cujus tamen  
 celebritatis non ultra nunc quærenda fuit  
 mentio, quam ut maxima quæq; operum  
 laudumque, intra domum Vestram, tam  
 muni-

12 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

munica Musarum admisione & comer-  
cio, veluti consummata ostenderem. Scili-  
cet ad Tua properanti, AUGUSTE, obiter  
præmonendum erat, quam perfectum omnis  
virtutis, omnis meriti, omnis gloriæ exē-  
plar, æmulandum Tibi amplificandumq; do-  
mestica disciplina & augusti sanguinis fe-  
liciter in Te trās fusa indoles comendave-  
ris. Multum sibi aliquando videtur sapere,  
qui illustres familias, & proavorū laureas,  
& generosi decus sanguinis, Stoica verbo-  
rum arrogantia extenuare audent ac pe-  
nè contemnerent. Quo fit, ut, dum placere  
imperitis cupiunt, prudentibus imperiti  
merito videantur. Est enim profecto, est  
divina quædam omniq; vulgari captu fa-  
stusq; sublimior dignitas in illo sanguine,  
ex quo Deus Heroas format, publicarūq;  
moderatores utilitatum producit; deniq;  
impresfa sui similitudine, veluti quosdam  
in terris Deos creat. A qua Supremi Numi-  
nis destinatione cum in hoc argumento  
recesseris, quid nisi profana & ab Augusta-  
rum



rum sanctitate domuum arcendo poteris  
animo concipere? Frustra cogitat Princi-  
pem, qui Deum in Principe non cogitat,  
non videt, non veneratur. Frustra nobili-  
tatem profapia in ore habet, qui Dei de  
illa nobilitate consilium in animo non  
reponit. Magnum est ac æternis dignum  
gradibus beneficium, quando unum ali-  
quem cœlesti virtute ac subsidio instruit,  
tuendæq; gentium saluti aut attollendæ  
gloriæ accommodat Divina bonitas: neq;  
certior Dignitatis pariter & admirationis  
heroicæ fides cogitari potest, quam natus  
publicæ felicitati consecratusq; Dux aut  
Princeps. At verò, cum ex una stirpe, non  
dicam civitatis alicujus rectores, sed ma-  
gnarum nationum, populorum, regnorū  
arbitri, sospitatores, vindices, omni maje-  
statis instrumēto elogióq; adornati, nō in-  
terrupta seculorū serie, prodeunt: quis non  
videt, quā propinqs cognatisq; nominib;  
Deus ejusmodi profapiam cœli comērcio  
ac terrarum venerationi admoverit? cum  
præ-

14 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

præsertim in Te, AUGUSTE, ac illustrissima sobole Tua, tam copiosa gloriæ ac spei pignora congruant, ut perpetuitatem incomparabilis fortunæ quavis ostensione fortius queant affirmare. Etenim, dum ex Celsissimis progenitoribus Tuis, HENRICO & URSULA FRANCISCI Saxonie Ducis filia (quorum memoriam omni verborum honore majorem nominando tantum liceat venerari) non Paternæ tantum Maternæq; virtutis indolem in Te traduxit summus Principalis genii architectus, sed cumulata utriusq; toto orbe laudatissimæ familiæ decora, veluti in unam consummati exempli formam congregavit: nonne suum de Te ac Tua posteritate consilium abundè putandus est declarasse? Itaq; si qua sollertior pietas signandis illustribus memoriis prudentum animos attemperat, non alio nomine debet ac elogio annalibus inferti natalis Augusteus, quàm sub commemoratione perfectissimi muneris, quod Deus ex solemni

lemniore & augusta suorum operum officina, necessitatibus Germaniæ, ornamento seculi, disciplinæ posteritatis, æternòq; Principum exemplo gratificatus, longissimæ felicitatis fata jusfit implere. Apud quæ primordia, AUGUSTE, Tua constitutos tam arcana vis voluptatis pertentat, ut nec promovere gradum sustineamus, quem vix ex argumento retinente molimur; & pervenire tamen ad ea cupidè gestiamus, quorum tot pignora, quatenus fas est, prætractamus. Juvat in cunis auspicia captare de folio, atq; ex habitu infantis, illam vultus majestatem interpretari, quam in Principe nemo sine sensu ac nota excelsæ mentis intuetur. Non sum ex iis, qui sideribus nimium ac genituræ in formanda hominum indole ac specie tribuunt; neq; ignoro pulcerrimas sæpe animas minus exquisito habitare domicilio: sed cœlestis cujusdam gratiæ lineas ac dignam imperio formam, quæ in Te resplendet ac elucet, valde erraverit, qui

B

non

16 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

non inter ea reputet mysteria, quibus ad  
sceptrorū sanctimoniam Divinitus solent  
Principes initiari. Sive naturæ, favorem  
cœli præfagiētis ea est sedulitas; sive ima-  
go regnatoris omnium Dei, honori Prin-  
cipatus officiōq; destinata, suos quosdam  
in Principis personam radios spargit. Hinc  
vigor in vultu, vis in oculis, gravitas in  
cōspectu, decor in gestu actūq; ; & expres-  
sioribus indiciis, virtutum singularū ima-  
gines, supra privata dignitatis mensuram  
cumulata, demissas superna origine Gra-  
tias repræsentant. Cujus rei fidē nulla æta-  
tis pars est, quæ non uberiori subinde do-  
cumēto asseveraverit. Eminēbat in prima  
pueritiæ face, generosus ille & graviorum  
curarum sive nuntius, sive sponsor, impe-  
tus: quo añorum moras ac Tuā ipse ætatē  
prætergressus, quidquid pulcrum, subli-  
me, honestum esset, animo concipere, ser-  
mone extollere, conatu aspirare, nun-  
quam, AUGUSTE, destitisti. cumq; ma-  
turo Tui fati instinctu veræ magnitudinis  
sub-

subsidia præsentisceres, universam liberalium disciplinarum amplitudinem studio complexus, celerrimis ac pene inauditis profectibus in id fastigium eruditionis evasisti, quod rarissimus quisque eorum, qui omnem litteris vitam dicarunt, potuit attingere. Cujus commendationis amplius diffusa est materies, quam ut in unum debeat locum cōtrahi. Igitur nunc, AUGUSTE, si in officio Tuo aliqua nostri ratio haberi potest, ad Musarum Te palatia omnisque elegantiae ac prudentiae sedes gradu non segni prosequemur, labores admirabimur, palmas numerabimus: indeque ad tot gloriarum fructus, inter secreta Palatii Tui explicandos revertemur. Prima Tibi, post domesticam disciplinam, placuit publicorum studiorum magistra Rostochiensis Academia: cui cum anno ætatis quintodecimo, Tuam præsentiam & mox auctoritatem in gerendo supremo magistratu Academico commodasses; altero progressu Tubingam

18 *AUGUSTID. BR. LUNEB.*

delatus, ejusdem honoris exempliq; magnificentia, verum *Juventutis Principem*, omnisq; virtutis ac industriæ auspiciem Te ac ducem præbuiſti. Mirantur, ac inter suæ felicitatis memorias studiosè conſecrant hodièq; illustres Academiae, quas Tuo ingenio formatas, Tuo ore pronuntiatas, ternas utraq; orationes audivere: quæ & argumenti delectu, & stili elegantia, satis jam tum demonstrarunt, antiqua Tibi Julii & Augusti Cæsarum exempla proposita esse; qui & ipsi ab adolescentia præclarè instituti, adeò nunquam aliena eguere facundiâ, ut inter præcipua regnandi instrumenta facilem in omnia eloquentiam expedirent. A quorum more cum primis Nero, ac deinceps reliqui certatim discessissent, imminuto non parùm imperatorio decore, tyrannis ministrorum invaluit, ac in tot sæculorum damna inveteravit. At tibi, AUGUSTE, sanctior & intimior patriæ, dignitatis, civium cura, non aliam studiorum rationem permisit, nisi  
quæ

quæ Principalis muneris actusq; gravitatem olim deceret, imò consummaret. Venit in partem testimonii Argentina nostra: in quam, solutis pietate solemni Optimi Parentis memoriæ justis parentalibus, illustrem doctrinarum famam non intulisti modò, sed plus etiam confirmasti, Profesores humanitate, Cathedras splendore Tuo tam eximiè amplexus, ut novè prodito honore exempli, ab ore Illustrissimi Juvenis, solium Academicum in certamine litterario, non magis dignatione generis, quàm doctrinæ merito, citra præsidium alienum, obtinentis, tum gratulabunda Studiosorum concio, tum doctissimi cujusq; affectus æstimmio juxta & admiratione defixus pependerit. Cujus officio recordationis eo promptiore cultu ac lubentia defungimur, quò præstantior Tua in hanc Urbem voluntas, repetito postea aliquoties hospitio, variâq; exhibita comitate, apparuit. Certè, si qua Musis Argentoratensibus fato destinata est perennitas,

nitatis, nunquam illæ suum posteris desinēt  
AUGUSTUM ostentare. Atq; adeo, quam  
cuperem, AUGUSTE, vel in parte talis ob-  
sequii, vel in ordine susceptæ scriptio-  
nis, aliquā saltem studiorū Tuorū formā stilo  
designare! sed privatæ mentis industriā fa-  
cile obruit altioris fati magnitudo: quæ  
profectūū singulariū momēta, incremēta,  
fastigia, per inaccessas reliquis vias, ad fati  
sui terminos rapiendo potius quā promo-  
vendo extollit. Quod si ex intervallo vesti-  
gia quædā sublegere fas est, Augustum co-  
gnominē Tuū, Romani conditorē imperii,  
Principū, sicut gētiles credidere, normā &  
exemplar, iterū ante oculos constituerem,  
atq; ex ejus disciplina, geniū quendā, meis  
cogitationibus ac spiritū conciliarē. Hic  
acerrimæ indolis præstantia Cæsari Julio  
& stimatus, post adoptionē, Apolloniā mit-  
titur in studia: ut ad capessendam Parentis  
fortunā, id est, ad summi imperii regiarūq;  
curarū molē sustinendā omni sapiētix in-  
strumēto firmatus olim accederet. In hæc  
vota



vota tendentē, magistrorū gravitas, occasio, publica expectatio, & supra omnia Divini cujusdā vigoris arcana instigatio magnis subinde auctibus provehebat. atq; ne stimulata tot hortamentis virtus evagaretur flagratius, usus vitæ pro formula, disciplina Reipublicæ pro consilio, amplitudo Principalis fortunæ, pro mēsurā placuere. Itum est in eloquētix penetralia: quæ cum reclusisset felicissimo adolescenti ipsa omnis facundix domina ac dispensatrix sapiētia, relictis statim seculi ineptiis, & circulantium flosculis, promptam ac profuentē, & quæ Principē deceret, orationē sectatus, nihil antiquius habuit, quàm ut emendatissimo nitore verborum, splendorū Palatii; & facillima venustate exponēdi publici actus genium ubiq; propitiaret. Ea Latine, ea Græcè oranti cura; non puerili illa concepta studio, sed plus quàm virili maturitate, ad augendam majestatem imperii & prodendam successoribus formulā quasi prædisposita, estq; prodigii simile, quod

sine omine deterioris status immutari  
postea ea civilis eloquentiæ ratio non po-  
tuit. Sed pergit imò festinat Octavius no-  
ster in civilis scientiæ abdita, in gubernan-  
di artes, & immensam illam artium am-  
plitudinem, cui paucissimi mortalium ab  
omni ævo pares sunt reperti, animo per-  
agrat, complectitur ingenio, destinatione  
providet, ac in terrarum orbis fata quo-  
dammodo librat. Confluunt ad miracu-  
lum juvenis, quidquid liberalium elegan-  
tiarum, invento aut usu celebrari consue-  
vit: atq; ex his pleraq; sui notitiam, omnia  
verò amorem capaci animo ac æstimatio-  
nem insinuant. Nec à militaribus interim  
meditamentis, & si quæ alia strenuitatem  
corporis ac vigorem excitant, cesatum:  
donec is fieret Octavius, cujus studia Au-  
gustum, quod postea nactus est, cogno-  
mentum non dedecerent, Tuisque, AU-  
GUSTE, mererentur comparari. nisi quod  
Pietas disciplina, id est, nobilissima Princi-  
palium studiorum pars, à Theodosii po-  
tius

tius alicujus exemplo arcescenda est: quem hoc præcipue nomine, ut veram optimi Principatus effigiem ac spirantem felicitis imperii formam, historia miratur. quanquam quid in hoc genere imitatio maximorum, quibus mentem semper attendisti, Principum profecerit, rectius fortè dicetur, cum ad ipsum virtutum Tuarum augustale reverenter accedet nostra oratio: Cui nunc satis est, attingisse studiorum Tuorum memoriam, quibus, supra quam credi aut dici potest, generose ac strenue ad præcipuam decus doctrinæ, & dignarum summa fortuna artium gloriam evectus, summi Principis fidem prius merito quam munere implevisti. Jamq; universi totius ambitum, conditionem, ingenium, cum regionum populorumq; moribus, industria, prudentia, studio emensus eras; cum altiori Tuæ fortunæ instinctu denuo excitatus, cultissimis terrarum gentiumq; diligenter obitis, in re præsentis, quod ajunt, æstimasti,

24 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

quibus nexibus, vinculis, rotis ingens iste  
fati Europæi orbis volveretur: quæ sidera,  
quibus regnis, quid promittant: quæ in  
Germaniam nostram & res Germanicas,  
voluntates, studia, cõsilia versentur in ani-  
mis hominum, in aulis Principum, in ore  
nationum. qualia qui non advertit, vix  
est, ut suæ Reipublicæ tempora perite ac  
prosperè administret. His intentum cogi-  
tationibus animum, multa observandi  
sollertia, in majores curas temperat, quam  
quæ intra linguarum notitiam, morum  
politiem, rerum pulcrarum spectacula, de-  
coram aulicarum exercitationum agilita-  
tem, & similia, fructum peregrinationis  
ac propositum concludi patiantur. Illis  
enim omnibus licet eximie vel intervalla  
temporum distinxeris, vel graviorum glo-  
riam artium ornaveris, longè tamen præ-  
clariora erant, quæ ingenii ad imperandū  
nati curas potissimum occupabant. Cum  
præsertim magnos ubiq; viros, & recõdita  
doctus aut tractantes, Tibi non dignatio  
ma-

magis Tua quam virtus conciliaverit. Id in Italia Tibi curæ, cum Patavii studia coleres, cum tot urbium ac Principatum pleraq; nosceres, cum Romam augustissimi quondam imperii larem, ad Clementis VIII. aulam, statusq; ac moris hodierni comparisonem exigeres. Nec in Sicilia & Melite quidquam eorum prætermisum est, quæ piè prudentérq; cogitanti de fati rerum temporumq; vel recordatio prioris ævi, vel præsentium æstimatio, vel divinatio futurorum potest suggerere. In Britanniam verò, quam solemnino tempore atq; adeo omine Tua Te fortuna traduxit, AUGUSTE? ut ostenderet Tibi incomparabilem Semiramidis Anglicæ successorum JACOBUM, auspiciatissimi regiminis primordia inter publicas ceremonias capessentem; Teq; sanctitate festi, & conspectu tanti Regis, Tuæ indolis, Tuæ gloriæ admoneret: quæ alterum à Jacobo heroicæ doctrinæ virtutisq; exemplum jam tum minabatur. Atq; si, quod  
Pru-

26 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

Prudentibus placet, occulto quodam vi-  
goris ac necessitudinis commercio præ-  
stantes naturas mutui affectus invicem  
conciliant; quantos hausisti spiritus ex  
Christianissimi Galliarum Regis HEN-  
RICI affatu ac humanitate? qui non per  
se modò benignè & comiter gratisimum  
hospitem excepit, sed ad LUDOVICI  
quoq; sui venerationem admisso, lucu-  
lentam occasionem patefecit, demerendi  
ejus auspicii ac majestatis, quæ tantum ex  
amplificata Galliarum gloria nomen illi  
Heroum incremento meditabatur. Lon-  
gum fuerit, Belgica quoq; cum ceteris,  
itinerà persequi; ac seorsim describere,  
quantum experientiæ ac laudis undiquaq;  
collegeris retulerisq;: loquuntur pro no-  
bis abundè consentientis testimonia fa-  
mæ, judicia summorum ubiq; Principum  
& aularum, communis Germaniæ gratû-  
latio, quæ de tanto decore suo nunquam  
dubitavit magnificè sentire ac sperare.  
Fulgebat in reduce sincera ac incorrupta

pa.

patrii moris gravitas : quam ne diuturna  
quidem peregrinatio in pravam exteri ri-  
tus imitationem deflexerat, aut in vanita-  
tis amorem ac versutiæ distorserat. quæ  
pro virtutibus vitia cùm multi avidè arri-  
pian, meròsq; interim Ulysses somnient,  
hoc assequuntur denique, ut nec externæ  
gloriam elegantia expriment, & in fasti-  
dia disciplina mentisq; Germanæ corru-  
pti, nescio quid monstrosè peregrinum  
per oculos stupidè mirantis vulgi circum-  
ferant. Quæ domesticæ labes gloria, quan-  
tum publico noceat, cùm præsertim ma-  
gnorum exemplis nominum se tueri cœ-  
pit, vel propterea nolumus declarare, ne  
argumento in faustiora omnia fœcundo  
convitium fecisse videamur. Et jam pri-  
dem nos ipsa Tui Principatus specimina  
vocant: quem tanto instructu aggressus,  
quadraginta per annos, aucto subinde ad-  
ministrationis curarúmq; onere, ita ha-  
tenus gessisti, ut Optimi, & pro captu  
temporum Felicissimi Principis exemplū  
sine

28 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

sine exemplo impleveris. Sequitur enim  
ut in universa vita, ita præsertim in im-  
perio, fortuna virtutem: fidumq; ac fa-  
miliarem Deo Principem omnis natura,  
omnia rerum elementa suo quodam ob-  
sequio ministerioq; demerentur. Equi-  
dem cum omnis Principatus inter ea sit,  
quæ eximio Divinitatis favore atq; com-  
mercio gaudent: ineffabilis tamen ac lon-  
ge intimior est conjunctio, quæ mentem  
Pietatis remigio instructam, ad superna  
evehit, apud superna retinet, supernaq;  
foetam sanctitate in terrarum regimen  
dispensat. Hæc est origo generosi magniq;  
consilii, quo sceptræ præpollent: hinc vis  
auspicii Principalis, hinc majestatis vene-  
ratio, hinc omnia summæ fortunæ decora  
& pignora augustiorem in humana vultu  
expediunt. Itaq; non ex officio tantum  
Christiani hominis, sed inter proprias san-  
ctissimi muneris Tui curas, pietatis studiū  
eminere voluisti, AUGUSTE. In quo se  
nemo Tibi, vel instructu subsidiorum, vel  
devo-



devotionis spiritu, vel motū puritate merito anteponat. Mirabitur posteritas, nec injuria, cum Sacrum Codicem, vice vel assiduissimis usitata sæpius, perlectum pridem relectumq; , noto jam in vulgus elogio cognoscet: sed quanto plus est miraculi, in ipsa tanti operis tractatione? Primarum majestatem originū toto admittere animo, conferre interpretēs, adhibere doctores; quid operę, studii, cognitionis, quovis seculo vel sapientum doctrina contulerit, vel devotio sanctorum penetraverit, sub unam quasi lucem conspectumq; statuere: hæc, inquam, summi Theologi, sed in Principe documenta, non salutari minus, quàm novo exemplo suspicimus. Accedit & reliqua sacrę eruditionis supellex, & quidquid religionis sinceritatem ordinat, puritatem tuetur, dignitatem amplificat, disciplinam gubernat. E quo Tu instrumento AUGUSTE, Ecclesiarum tutelam, patrocinium, moderamē, quantū vel hominis ingenio vel Principis officio fas est, non in præsens modò depromis, sed in

30 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

futurum disponis : transmisit etiam ad  
posteris monumentis, quæ Tuum in rem  
Ecclesiasticam studium meritumq; voce  
perenni eloquantur. Mos est gentilibus  
cùm intra animi adyta formant Princi-  
pem, quem nusquam in aularum Palatiis  
inveniunt, ad fabulas deniq; decurrere,  
ac ingeniosis ambagibus mysteria boni  
Principatus involvere verius quàm expli-  
care. Inter quæ commenta non parum  
præcellit Minois educatio : quem novem  
annis in contubernio ac disciplina Jovis  
enutritum, ex illo divini secreto com-  
mercii ad solium & regnum producant.  
Nec Osiridem suum facundissimus audet  
Synesius pro publico boni imperii speci-  
mine prostituere, nisi arcanis prius Deo-  
rum sacris assuetum, & convictu quasi  
quodam cœlesti, in decus regni forma-  
tum. Quæ figmenta, sive disciplinam im-  
perandi è cœlo Deoq; deducunt, sive mu-  
nus imperatorum Divinis alligant auspi-  
ciis, alludunt potius, quàm exhauriunt,  
nec

nec repræsentant sed significant veritatem. Nobis sapientiæ melioris stilus præmonstrat exemplum Principis, quem non fictitius aliquis Jupiter, sed Deus Deorum, Deus solus, Deus Rerum & Regum auctor, sua imbuat sapientia, suis satiat colloquiis, suis firmat præceptis, suo implet numine, suo agitat vigore, sua ornat imagine. Solium quæris? cum Divino cohæret. Sceptrum? à Divina manu porrigitur. Consilia? è divina mente promanant. fortunam? divino favore secundatur. Et quid dicam amplius, aut quibus omninò verbis dicam, de Pietatis tuæ exemplo fructuq; singulari, A U G U S T E, quam peritissimus quisq; sub Davidis illius aut Salomonis imagine cogitandam faciliùs animi affectu, quàm orationis conatu declarandam susceperit? Igitur ex ipsa uberissimi argumenti copia, non inepti rationem compendii in cetera mutuabor: ut semel omnes intelligant, non minus supra facundiam, quàm supra mensuram

solemnem esse, virtutes Principis à tam propitio, tam familiari, tam cōciliato Numine profectas. Sedeant age peritissimi, rerumq; actu & fortunæ casibus gnaviter exerciti, & expendāt, divinum illud Tuum, EXPENDE, quo tanquam signo aut tesse- ra Prudentiæ reconditæ penetralia præ- scribis: invenient haud dubiè, quæ expen- dendo nunquam fatis sive expendant, sive expediant. Non est mihi fas existimare de præcipuis consiliorum momentis, qui- bus securitatem sui status ac salutem tan- tus Princeps pace belloq; providit ac re- demit: possunt tamen pro argumento esse temporum discrimina, negotiorum ancipitia, animorum perplexitates, fata Principatum, in quæ communem pa- triam pertinax fortunæ publicæ indigna- tio implicavit. Navem inter certamina tempestatum servare, non nisi periti, sed & generosi gubernatoris est: neq; Rem- publ. ex circumstantibus undiq; pericu- lis alius, quam profundæ ac præsentaneæ  
artis

artis mentisq; Princeps eripuerit. Jacez  
sepulta pene suis ruderibus Germania:  
trepidant inter cineres fatalis incendi  
miseriæ civitatum ac populorum reli-  
quix: omnia squallore, lamentis, despera-  
tione opplentur; ubiq; caligo mœstitiæ,  
tenebræ calamitatum, pavores exitiorum  
demersis incubant terris. E qua tam de-  
formis spectaculi circumstantia, Tua di-  
tio nitidius tollit caput, & tanquam ex  
alta nocte lætioris radius luminis promi-  
cat. Beneficium ingens, & hodie paucissi-  
mis commune, divinum ante omnia fa-  
vorem, sed & Tuam, AUGUSTE, pruden-  
tiam nimis quam evidēter commendant:  
neq; quisquā Imperii nostri tam est igna-  
r<sup>o</sup>, quin Augustæ pacis, adhuc inter ultima  
rerum pereuntium solatia, veluti delecta  
sede resistentis, auctorem miretur, obvioq;  
statim prædicationis argumento, defæca-  
tam affectibus mentē, temperata cautione  
consilia, porrectas in abdita curas extollat.  
Vertitur periculosè jam cōplures p̄ años,

ac pene evertitur Reipubl. orbis: atq; in  
tanta status publici concussione, tam am-  
biguis omnia nexibus intricantur, causis  
impelluntur, artibus variantur, ut, quam  
heri faciem negotia prætulerant, hodie  
amiserint, neq; in crastinum provisã ex  
hodierno habitu conjectura subsistat. Quo  
fit, ut nec in cavendo metus, nec in discer-  
nendo judicium, nec in providendo sol-  
lertia, nec in observando attentio, quid-  
quam expeditæ rationis inire possit. nisi  
quod omnia expendendo, *AUGUSTE*,  
novum ad sapientiam iter reperisti, quo  
per arduo quævis enisus Tuæ pariter ac  
posteræ ætatis curam ex dignitate mune-  
ris sustineres. Jam primum, ut rectè de  
instantibus judices, rectè de imminenti-  
bus cogites, non contentus Augusti ali-  
cujus ingenio aut Aristotelis magisterio,  
ignoratam gentilitati viam ingrederis,  
ac pleraque peritè de publico sentiendi  
momenta ex ipsis fatorum tabulis condi-  
scenda autumas: satis gnarus, oculum

Pru-

Prudentiæ humanæ valde hebetem esse, nisi Providentiæ gubernatricis consideratione assiduæ illuminetur. Multum potest in moderandis hominum consiliis replicata veteris ævi memoria, & in exemplum accita annalium series; quæ non gesta modò eventusq; , sed causas insuper ac rationes plerumq; promulgat. Id est, quod de se pollicentur gravissimi quiq; veterum ex Græcia Latioque Historicorum: id est, quod lectores peritissimi quærere videntur ac sectari. Libri omnes rerum hominumq; memoria in promptu est; Tibi juxta patent gentium consilia & scriptorum artes: sed in hoc diversus es ab exemplo summorum Principum, quos imitaris, quod illi tantum ex libris hausere, quantum calamus auctoris consignaverat; Tua autem sollertia, in historiis non pauca attendit, quæ Historicus ultrò reliquerat aut ignoraverat. Atq; ita, cum Severus Alexander ex peritis historiæ discit, quid ex rebus gestis ad

26 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

gerendas subsidii aut similitudinis suppetat; cum multi illi & magni imitatores Augusti (quem vel nominis causa sæpius adhibere debemus) in evolvendis scriptoribus nihil æquè quam præcepta & exempla publicè vel privatim salubria confectantur: aliquid altioris studii Tibi relinquunt, AUGUSTE, quo contextus rerum fatales, & dispensata divinitus in omnes actionum species partèsq; momenta, id est, ipsam prudentiæ Totius vim ac Spiritum, in quantum homini fas est, complecteris. Quam curam dum pleriq; hodie suo ac seculi vitio negligunt, infirmati Prudentiæ genium necesse est, quem sola Deo cœloq; nixa generositas decet, ac tuetur. Quid mirum est, eos falli, qui tam callidè & animosè spes metusq; suos in secula mittunt, immensisq; molitionibus futuras ætates occupant? qui humani subdilitate ingenii mirandarum structuras rerum inædificant? qui consilia successu & exemplo, nec ultra me-



metiuntur ? prorsus quasi exclusum terris  
Numen , aut otiose inclusum nihil juris,  
vel curæ vel potentia deniq; in humana  
obtineret. Tibi meliorem sapiendi formu-  
lam misa cælo dictant auspicia : Tibi ex-  
celsæ mentis magnitudo , certum in ar-  
duis auxilium, in dubiis consilium, in ad-  
versis remedium spondet : atq; , ut verbo  
dicam , Tibi Natura suas vires , Prudentia  
suas artes, Fortuna suas Opes ultrò indul-  
get. Principales sustinere curas , atque  
populorum præesse utilitatibus quanta  
sit molis onus , si non aliunde constaret,  
ipsa nos eorum doceret raritas, qui per se  
tuendæ rerum summæ sufficiunt. Itaq; mi-  
nistrorum per manus , regnorum arbitria  
plerumq; ac facta jactatur: neq; quisquam  
navigio minus moderatur , quam qui gu-  
bernatoris nomine præfulget. At verò AU-  
GUSTI nostri Principatus , quo agitetur  
spiritu, quo convalescat vigore, quibus se  
attollat humeris, non proluxa quæstio est.  
Supra primam ingenii animiq; sortem,

38 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

primo dignam & natam loco, nihil est, quo ascendas: hæc nullis impar negotiis, adiutoribus suis adest auspicio, præest exemplo; agenda præscribit, acta iudicat; momenta rerum apud se congregat, ex se dispensat, ad se revocat. Quod si ad oratorum hic imagines veniendum esset, primarii sideris emissum in omnia fulgorem, aut præsentis ubiq; Numinis maiestatem, ad interpretanda, quæ diximus, mutuaremur. Sed vocetur nunc simplicius *indoles Regia*, quæ nominis regii munerisq; mensuram sola capit, sola implet, ac in Principe omnia Principatus decora supereminet. Itaq; cum Te talem Natura genuit, AUGUSTE, talem Sapiencia educavit; Heroem utraq; quidem, sed qui jure & nomine Principis esset, moliebatur. Atq; hinc perfectio illa Prudentiæ Principalis æstimanda est, quam nunc commendamus. nec alio spectat apparatus iste insolitus, quem circa soliū Tuum omnes doctrinæ, artésq;, velut in  
sacra-

facrario donaria, iuspenderunt: ut in Principe primùm splenderet, quidquid in Principatus felicis spectaculo unquam splendere potuit ac debuit. Armaria, rebus vetustate, raritate, artificio notabilibus referta non mediocri sumtu ac labore multu adornavere: sed affectus quàm peritia major, & famæ potius studium, quàm operum æstimatio id consilium moderabatur. Tibi pictura, plastice, & cum suo comitatu sobolèq; Mathesis, exquisitæ monumenta industriæ artisq; non ut amatori modò, sed ut artificii ac iudicii, adeòq; crebrius solito ac liberalius dicata cupiunt. Ne de illustrissima nunc Bibliotheca dicam: quæ numero librorum ac præstantia, dispositionis cura supellectilis apparatus, ornamentorum dignitate, subsidiorum commoditate, inter miracula Germaniæ emereret; nisi majus esset ipse Princeps miraculum, cujus munificentia Bibliothecam instituit, solertia ordinavit, scientia comprehendit. Sciunt

C 5

nihil

40 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

nihil in majus augeri, qui propiorem Tuæ  
aulæ usum adepti, plus ornamenti in  
animo Tuo, quam in fortuna; plus sa-  
pientiæ in ingenio Tuo, id est in viva  
illa Bibliotheca, quam in tot codicum  
millibus, quos omnes notitia, cura, di-  
gestione Tua dignaris, agnoscunt. Quan-  
quam, cui jam ignota esse potest infinitæ  
lectionis copia, & omnigenæ eruditionis  
varietas, quam non Virtutum modò actu  
vitæq; consuetudine approbasti, sed vi-  
cturis per omne ævum literis consecrasti?  
Nunquam defuerunt, qui specioso in vul-  
gus colore, Principem potius scribenda  
facere, quam legenda scribere oportere,  
contenderent. qui si hoc volunt, ne  
imperii negotia omittantur, aut desti-  
nata publico intercipientur tempora,  
non debent nomine Principis promi-  
scuè uti. An tu Julium & Augustum Cæ-  
sares, M. Antoninum, ac minus vetusta  
nomina *Leones, Baslios, Contacuzenos,*  
non satis industriè publica sustinuisse  
com-

commoda autumabis, quod varii generis scripta, nunc soluto sermone, nunc metris illigato, partim gravioribus apta consiliis, partim temperando idonea otio ediderunt? Atqui tantorum spiritus heroum in omnia egregia & decora promptus validusque, non erat vulgari modulo metiendus. Quod alii laborem, hi naturam vocant: quæ aliis distractio est, his vix occupatio censetur: unde alii fatigantur, hi reficiuntur. quid, quod eodem tempore intentam pluribus mentem nec memoria confundit, nec iudicium frustratur? Qualia cœlestis cujusdam vigoris prodigia non capiunt, qui tam operose & moleste de magnis fatagunt iudicare. De Tuis certe scriptis, AUGUSTE, quæ amœnitas ingenii, copia doctrinæ, & regii gravitas spiritus ex æquo decorant, nunquam serio cogitabit, nisi quem fata nostri temporis de cœlesti destinatione admoverint. Ecce, litterarum domicilia ac instrumenta,  
atq;

42 *AUGUSTI D. BR. LUNEB.*

atq; cum his amorem & curam eruditionis, bellicæ hætenus clades per Germaniam corrumpunt, dissipant, extinguunt: consternatas tot damnis mentes in desidia fatalis torpor agit: periclitatur spes ac decus posteritatis; quam non nisi magno molimine in gratiam cum avito & meliori modo reduxeris. Igitur Hercule aliquo Musageta opus erat: qui nominis majestate, omniq; elegantia cultu ingruentem audacter barbariem propulset, ipsaq; exempli magnitudine in strenua posteros consilia provocaret. His instincta tam fatalibus stimulis optimi Principis voluntas, quo sponte ibat, fertur alacrius, Musas admittit secretius, scientias dispensat largius, eruditos fovet amatq; impensius. Quidni fulgeres præcipuis in omni genere litterarum luminibus, splendidissima Academiarum Julia, quæ eodem gloriarum tuarum auspice & socio gaudes, eodem operis duce frueris & teste, ejusdem Patroni munificentiam experi-

per  
Mu.  
& a  
per  
Aug  
mu  
stra  
cau  
qui  
con  
exe  
mil  
dio  
qui  
for  
præ  
deb  
me  
reg  
reli  
per  
gis  
ma



periris & arbitri iudicium admiraris?  
Multas scholarum contemptus depressit:  
& absomit quotidie aliquas inopia. Tuæ  
perennitati satis provisum est Exemplo  
Augusteo & Juliano: cujus imitatio do-  
mum Luneburgicæ, tanquam fato demon-  
stratum felicitis imperii pignus, vel ominis  
causa in perpetuum curæ erit. Neq; enim  
quidquam efficacius est & auspicius ad  
commendandam posteris virtutem, quàm  
exempla majorum: quæ non tantùm fa-  
miliarius movent, ut cognata; sed vali-  
diorem insuper venerationem habent,  
quia sine præfagio inclinaturæ in diversa  
fortunæ deserere nequeunt. Itaq; nihil est  
præclari, quod non ab illa expectari Aula  
debeat, cujus status tot disciplinæ muni-  
mentis ordinatur. Observes inter artes  
regnatrix domus, consecratam Romæ  
religiosa cerimonia Palatii sedem: ut im-  
perantis domicilium non magnificè ma-  
gis ornatu præcelleret, quàm sanctitate  
majestatis præpolleret. Ad Tuam, AU-  
GU-

44 AUGUSTID. BR. LUNEB.

GUSTE, aulam veniētes, nulla quidem superstitio arcet, sed objecta in limine veneratio sanctiore scilicet affectu imbuit: ne ad sedem Deo divinóq; dicatam Principi, cœlestibus plenam pignoribus, sacra Principatus & penetrales virtutum genios, ut sic loquar, complexam temerè aut profanè accedant. Ante omnia ipse Dominus aulæ, & mens, & anima, ex illa suæ potentix officina, in omnia remota, propinqua, per se, per alios, virtute exemploque securitatem in populos ac salutem, cum utriusq; instrumento, disperdit. Ipse semper agit, semper viget, providet, sospitat, splendet, moderatur: nunc arridentem fortunam obsequio devincit, nunc minanti plenos generosi spiritus animos offert: nunc præsentia in formam & vultum ordinat, nunc futuris facit aut claudit viam. Jam, ubi inter Justitiam & Clementiam medius asedit, alteramque alteri, & utramq; sibi conciliavit, mox videas audaciam malis decedere, fiduciam



ciam redire bonis, infelicibus patere asy-  
lum. fugiunt totisq; exulant finibus ca-  
lumnia litium, nequitia sycophantarum,  
injuria praefectorum; neq; hic contemne-  
re & contemni, opprimere & opprimi,  
seculum vocatur: quippe sub tanto aequi-  
tatis jurisq; auctore & magistro, facile  
sua se fortuna metiri discunt, qui alie-  
na mallent abuti. Solet non raro eve-  
nire, ut benefici ex aula sideris lumen  
ad multos nequeat penetrare, obductis  
passim per aulicorum artes nubibus,  
aut, qua transire debeant radii, caligine  
offusa. AUGUSTUM nec adulatoris  
blandiloquentia, nec delatoris crimina-  
tio, nec obrectatio invidi, nec aemulatio  
adversarii fefellerit: omnia pariter absi-  
stunt, omnia metuunt, neq; inimicum  
vitiis animum vitiorum artifices audent  
tentare. Hinc liquida & serena lux in o-  
mnes Principatus angulos se permittit;  
non casas praeterit ac tuguria, non agros  
minus quam urbes exhilarat, summosq;  
cum

46 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

cum infimis pari benignitate permulcet. Modò Liberalitas sub illo lumine in ege-  
norum solatia, aut benemerentium præ-  
mia præstò est: modò Humanitas ad inspi-  
cienda infelicium damna, levandos mæ-  
rentium dolores, laudandam civium fi-  
dem ablegatur: modò ipsius Principis  
aspectu, tanquam Sole, adversus seculi  
tempestates, omnia refoventur. Quod si  
denuo ad ipsa tot bonorum penetralia re-  
meare libet, ne ab interiori quidem ac  
familiari vitæ consuetudine nos excludet  
innocentia Principis ac sanctitas: quæ  
exemplo melioris seculi consecrata, nihil  
minus quàm latebras amare potest. Di-  
gna sunt, quæ in omnium oculis versen-  
tur, ac sermonibus, dicta & facta Principis  
ad laudem ac decus nata; assiduè pro Re-  
publica labores, remissionum tempora  
parcè, nec otiosè, interposita: decora &  
prudens in conjugem comitas, in sobo-  
lem pietas: benignitati propior apud ami-  
cos gravitas; dignitatis ac disciplinæ me-  
mor

mor  
pori  
cent  
na &  
pera  
oper  
artil  
cede  
hari  
hon  
in in  
in c  
Neq  
GUS  
inte  
riti  
guin  
firuc  
tes  
nero  
BET  
GUS  
fato

mor in familiares auctoritas: cultus corporis, mensæ, totius aulae, inter magnificentiæ, elegantia, moderationis specimina & confinia, rationi fortunæq; attemperatus: ministeria ad usum Palatii & operas disposita: luxuriæ instrumenta & artificia, locum melioribus laxamentis cedere iussa: exclusi scurræ, circulatores, harioli, aliæq; consortii Principalis de-honestamenta. Nihil in vultu, in gestu, in incesu Principis, quod exemplo aulae in omne decus formatae disconveniret. Neq; minus egregiè secundas partes AUGUSTA tuetur: cui hoc, illustrissimum inter feminarum elogia nomen, non Mariti tantum merita & regii confors sanguinis nativitas, sed augustæ mentis celsitudo, longèq; sexum supergressæ virtutes suo jure vindicant. Loquetur Te, generosissima Heroidum SOPHIA ELISABETHA, omnis posteritas; & cum AUGUSTO Tuo inter præcipua matrimonii factorum industria congruentiaq; concilia-

D

lia-

48 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

liati exempla prædicabit: quæ tanti conjugis iudicium mereri, implere, superare potuisti. Per Te repensantur omnes illæ Gratiæ, omnes illæ Charites, & quidquid Amorum decorumq; , primum in CLARA MARIA POMERANA, deinde in DOROTHEA ANHALTINA, Serenissimis Viragibus, Optimus Princeps amiserat, quasi prorsum id agere voluerit fortuna, ut sua non parcius continuasse quam collocasse beneficia videretur. Pulcrum ac venerabile spectaculum! fulgorem tot radiis è cælo derivatis accensum, non nisi ad aram Phœbi Tui dedicatum, ejusq; lumine auctum illustratumq; in gaudia publica & solatia dispensas. mater populi, affectu; matronarum specimen, exemplo; aulæ salus domestica, beneficio: cujus potentiam nemo doluit, modestiam nemo desideravit. Nam quid cæteras in omnem elegantiarum cultum congruentes dotes artesq; memorem, de quibus nec pauca debent, nec multa nunc dici possunt?

Igi-

Igitur haud Paulo rectius seorsim & accurate, inter illustrium miracula foeminarum, tantum nomen ad posteros Scriptorum pietas celebrabit. Nobis enim tam multiplicatus aulae AUGUSTE splendor, ne omnia semel & liquide cõtemplemur, oculos præstringit, sumasq; tantum collucentium undiquaq; siderum imagines ostentat. è quibus dulcissima flama est, quã, veluti ex repercussu, Celsissimorum Parentum solio, augusta utriusq; sexus pignora copiosè refundunt. Quid nõ speres magnum ex illa sobole, cui Deus magnarum originum indolẽ, fortunam, exempla vel ingeneravit liberaliter, vel luculente representavit. Atqui non sperandi jam sed cõfidendi argumenta quotidie suppeditatis, ætatisq; vestræ mēsuram mirandis Laudum profectibus præeminetis Illustrissimi Juventutis Principes, RUDOLPHE AUGUSTE, ANTONI ULRICE, FERDINANDE ALBERTE. nam ad Vos eo majori fiducia accedo, quo testatior est indolis Vestræ

D 2

beni-



50 AUGUSTI D. BR. LUNEB.

benignitas, neminis hominis quaecumque  
etiam in Augustam domum Vestram stu-  
dium aspernari docta aut sueta. Vos inter  
delicias & amores seculi Veneror: Vobis  
ista exsplendescētis abunde Virtutis omnia  
ac specimina gratulor: Vos, ut munimenta  
felicis aulae ac subsidia, Providentię rerum  
publicarum Sospitatri, publica pietate  
commendo. Vobis serā Parentum immor-  
talitas, prospera Sororum matrimonia, di-  
gna denique Vestris moribus fata contingāt  
ac tempora, paucis ista verbis comprehen-  
sa, quā prolixo mentis devote affectu di-  
cantur, ita poteritis estimare, si me inter  
eos numerare dignabimini, qui divinæ in  
res Germanicas curæ monumēta, pignora,  
auspicia, indeque natas expectationes, non  
irreverenti diligentia speculantur. De ce-  
tero, credite, me omnia ista vovere atque  
augurari, quæ nuper feliciore magni Viri  
calamo ad Vos sunt exarata: *cujus speculum  
Augustæum* tanta concinnitate adornatum  
est, ut præripuisse potius in hoc argumēto,  
quā

quàm p̄buisse aliis scriptoribus facultatē videatur. Nunc ad Te, SERENISSIME DOMINE, redeundū est : ad quem omnia, quæ in aula & Republica Tua hætenus veneratus sum, suos cultores remittunt. Tuo debet auspicio, curæ, dispositioni, exemplo, quidquid Augusta domus splendoris ac disciplinæ; Respublica vigoris habet ac salutis. Tua, AUGUSTE, Censura omnia emendat; Tua dilectio omnia recreat; Tua vigilantia omnia defendit; Tibi caritatē suam publica populorū allegat pietas : Tibi obsequia sua civiū consecrant curiæ, cōventus, ordines : Tibi elogia Augustæ & eximias laudes, & fausta omnia, omnis sexus, omnis ætas, & aperta undiq; gratulantis turbæ ora vocēsque modulantur : per AUGUSTUM se vivere, per illum arare, ædificare, negotiari; libertate atque fortunis per illum frui. Tibi, si quid ex antiquitate magis exquisitū Prudentum studia recordantur, statim & merito accomodant. Ponebant olim plurimū in votis Principū aut impre-

cationibus: quibus vel certa terris prosperitas, vel haud dubia p̄nicies acciretur! Hinc cœli ac siderum clementiam, terrarū proventus, agrorū fruges, foeturā pecorū, hominū foecunditatē, Reges suo regno à Regiis diis precatos adeptosq; , speciosè videas memorari. Neq; ulla in Principe splendidior celebritas excogitata est, quam ut missa cœlo in publicū munera, imperantis nomine ac auspicio prædicarētur. Quæ res multum utiq; ex vero trahit: quamvis partim ignorantia, partim adulatio, suas, ut fere solet, partes non raro interposuerit. Quæ enim certior sancti Deoq; carissimi Principis estimatio dari potest, quam effusa per populos, in Principis gratiam, divina beneficia? quæ ita jubētur cives excipere, ut Deum simul in munere, simul in Principe, qui muneri cōciliando dispensandōq; præest, vereantur. Itaq; verè AUGUSTUS es, Princeps Serenissime; verè sanctus, verè venerabilis; sanctimonia augurii, eminentia auspicii, incremento felicitatis. Neq; quis.



quisquam Tuorum de illa dubitat majestate, quam quotidie omnes sentiunt, omnes vident, ipsisque penè manibus contingunt. Vive & Vige & Splende, ò vita civium, ò Vigor imperii, ò seculi Splendor! Deus Te amet, AUGUSTE, què Tu semper amasti, qui Te semper amavit! Deus Te servet, qui Te semper servavit! DEUS Te amet servetq;, AUGUSTE, ut Tuos diu amare, diu servare possis! Quid ni enim à laudibus, quas nō capit ingenii tenuitas, ad Vota transgrediar; què, si cetera defint, sola absolvit pietas? Conquirere elogiorū titulos, disponere virtutum classes, meritorū numerare adoras, prædicare fortunæ muneris, ejus forte fuerit, qui Tuam magnitudinem angustius, quam par est, metiatur, aut certe justam moliatur historiam. Quid quod nec civilis modestiæ est, de vita actuque Principis, sine nutu Principis, adeoq; sine numine & nomine, ut sic dicam, ullam expositionis plenæ seriè ordiri? cumq; laudatio cōmunis pietatis præcepta cōtineatur,

34 *AUG. D. BR. LUN. FAM. A.*

tur, quidquid ad historiã accedit p̄pius, singulari indultu juberi amat. Eapropter nemo hic describēda putabit divina AUGUSTI in imperiũ Romanum, in Illustrissimas necessitudines, in omnẽ Germaniam merita: Virtutũ ac officiorũ cumulata in perfectę beatitudinis exemplar decora: elaborata p̄ egregio publico cõsilia: vindicata è Martis sinu, Patrię spolia: tolerata cõstanter & superata feliciter discrimina; è quib⁹ modò vita Principis, nõ sine nota fati heroici, modò civiũ salus sub p̄sidio Principis fortunę convaluit. Quidquid horũ est, AUGUSTE, institutũ meum sup̄greditur: qui sub auspicio ductũq; Musarũ, plurimũ in aula Tua pollentiũ, inter eos volui comparare, quib⁹ testandę occasiones devotionis accipere potius, quàm deligere fas est. Si propitio placatõq; Vultu, prima & adhuc circa Augustum limen verecundantia obsequia admiseris, ex Tuis haud dubiẽ auspiciis, DOMINE SERENISSIME, quę nunc desideratur unicẽ ac deficit, ingenii sermonisq; facultas instaurabitur.

( \* 55. \* )

PANEGRICUS.

*Illustrissimo ac Celsissimo Principi  
ac Domino,*

DN. AUGUSTO,  
Duci Brunovicensi, &  
Luneburgensi,  
*Domino suo clemen-  
tissimo.*

TESTANDÆ DEVOTIONI  
D. D. D.

MARTINUS NESSELIUS,  
MORAVUS.

**D**UX Sapiens, nostri prælustri adorea  
secli,

*Et patrii dudum spesq; decusq; soli;  
Qui cū sis prisco Regum de sanguine cretus,  
Doctrina superas nobilitate genus:  
In tua laxavi vigiles encomia curas;  
Et fait hac Musis area trita meis.*

D 5

Nulla

Nulla tuas æquare potest oratio dotes ;  
Ex meritis a te Tu potes ipse cani.  
Ut tamen ille, vices cuius moderaris  
obisque,  
Laudari quamvis non queat ore satis,  
Qualescunq; libens admittit & audit ho-  
nores,  
Anteque fert verbis muneribusque  
fidem:  
Sic, fore, me spes certa fovet, quæ porrigo  
dona ;  
Ut Clemens isthac quantulacunque  
probes.  
Scilicet ingenio quod abest, pia pectora  
supplent,  
Est pietas superis dexteritate prior.

Scriptus

Anno M. DC. XXXIIX.

PANE-

PANEGYRICUS.

Cum ea sit virtutum excellentium, ac supra comunem vulgi captum asurgentium indoles, ut stricturas radiosque suos in oras vel maxime disitas ac longinquas didant, ejacularenturque, nec augustis locorum spatiis includi ac circumscribi dignentur, sed omnium in se oculos, amorem & admirationem convertant; nihil miraberis, Princeps illustrissime, si & ego ab inusitato eminentissimæ tuæ eruditionis fulgore à jubare illo tot in te concurrentium maximarum dotium, aciem oculorum perstringor, nec à temeritate meâ impetrare possum, ut se intra silentii cancellos contineat potius, quàm muneri tanto minus idonea, risum tibi, literatoque seculo debere velit, & ludibrium. Equidem non sum nescius, arduum ac operosum esse, maximorum Principum sublimitatem, ac majestatem oratione sustinere; perinde ac Numinum effigies non cujusvis penicillo representantur:

38 MART. NESSELIÏ

tur: Ipse tamen in magnis officiosus conatus, licet infra meritum, licet impar voluntati, laudem interdum meretur ac favorem. Nec me à proposito, cui pertinaciter incumbere offirmavi animum, dimovet aut deterret vel ignobilitas conditionis, vel natalium gentisque peregrinitas. Nimirum quemadmodum Superi, sine discrimine, preces ad se allegari omnium, transmittiq; patiuntur; nec vel falsâ molâ, ac lance simplici litantes averfantur, & ab altarium sanctitate abigunt: ut diurnum illud, ac formosissimum sidus, quem solem appellamus, immensa mundi spatia collustrat ex æquo, nec radiata diei tela intra pharetram occulit invidiosè, sed quotidie sparsim mortalium oculis ingerit, ac impertit; sic pulcherrima me spes fovet, futurum, ut haut expensa, nec ad calculos revocatâ rationum mearum parvitate, publicam hanc allocutionem, quam ad pedes tuos manu tremebundâ, devotus vel Solduriorum more Cliens depono, fronte  
 fere-

PANEGYRICUS. 59

serenâ, hoc est, verè tuâ admittas, tibiq;  
finas allubescere. Et quidni finas? Qui tot  
ac tantis publicè editis ingenii cœlestissi-  
mi documentis, liquidò declarâsti, in hoc  
fortunæ tuæ sublimi fastigio, ac sorte di-  
vinæquàm proximâ nullâ te aliâ inter cõ-  
pares eminere dote, ac dignitate malle,  
quàm individuo Musarum contubernio,  
& literarum inexhausto pariter ac inde-  
lebili amore. Quò magis impulsus sum, ut  
qui antea pangendo Carmine, tanquam  
otio insititio, studiorum meorum prote-  
lum, diffindere, ac veluti inter jungere so-  
lebam; nunc sequestrato paulisper Apol-  
line, in castra Divi caduciferi non quidem  
ut transfuga, sed explorator transirem fi-  
dentiùs, & quid in posterum gratiæ ac suc-  
cessus ab eodem expectandum habeam,  
hoc veluti rudimento & tirocinii speci-  
mine, periclitarer. Cæterùm non ita am-  
bitiosus, & spei de me ipso immodicus  
sum, ut viricularum mearum modulo,  
laudum tuarum immensum Oceanum ex-  
hau-

60 MART. NESSELII

hauriri ac depleri posse animum inducam : illud tamen mentem dubiam , & in pedes quasi lapsabundam erigit, ac reficit, quod disertissima etiam ora longè infra magnitudinem tuam posita sint, ac fidant; nec reperiatur usquam gētium quisquam, qui sub mole hac, & onere, non vacillet poplite succiduo, vel penitus procumbat. Nam sicut indomiti rigoris, ac maximæ indicaturæ lapidem, non nisi propriâ scobe expoliri posse, naturæ tradunt mystæ ac sacerdotes : ita ingentia, excelsa, & augusta tua decora, & dona divina prorsus ac incomparabilia, nullius calamus aptius & felicius, quàm tuus, vivaci adumbraverit, & expreserit colore. Ergo igitur, non ego nunc vel ab irruptione diluviali, nec ab Hercule, Priamóq; aut aliis id genus fabulosis ac exoletis nugis, vetustatem primordiáq; antiquissimæ, & ipsorum Imperatorum etiam parentis & educatricis familiæ tuæ, speciosa indagine arcesam, deducamq; nihil de avo tuo referam, omnem



PANEGYRICUS. 61

omnem laudem longè supergresso Herôes  
cui, inter alia nobilissima, & æternitate di-  
gna facinora, Confessionis nostræ natales  
& incunabula, cum paucis, posteritas me-  
mor grataq; debemus, & accepta ferimus,  
nihil de patre tuo, Principe nunquam sine  
honoris præfatione commemorâdo; nihil  
de magnificentiâ tuâ, ac splendore incre-  
dibili, qui quoquo versum fausto pede  
graderis, usq; te circumstat & comitatur,  
& in quo alii, quia veris & genuinis desti-  
tuantur honoribus, omnem autoritatis  
suæ, amplitudinis & dignationis collo-  
cant summam, omnem ponunt cardinem;  
nihil de reliquo felicitatis instrumento,  
ac apparatu: Quippe, qui perspectum ex-  
ploratumq; habeam, bona hæc paginam  
tibi non facere utramq; ; & malle te, re-  
legatâ fortunæ ambitiosa ostentatione ac  
pompâ, bonis tuis, & propriis opibus cen-  
seri ac æstimari, hoc est, ex animo, regiâ  
illâ & augusta nostri parte, in qua to-  
tam hominis nobilitatem Deus immortalis  
po-

posuit, apud post genitos nosci, & celebra-  
 ri; Scilicet non te clam est, hominem hoc  
 esse, quod est ratio ac animus: cetera ex-  
 tra eum quæ sunt, ad veram beatitudinem  
 momentum adferre nullum, nec ad natu-  
 ram, perfectionemq; ejus quicquam per-  
 tinere. Mentem solam, veram ac præcla-  
 ram, maximèq; propriam esse mortalium  
 possessionem, ac quoddam quasi patrimo-  
 nium, peculiūmq;: cui, si quis unicè, & si-  
 ne curā alia intentus sit, ac totam in con-  
 templatione veritatis defigat, & ad nor-  
 mam divinitatis quàm maximè compo-  
 nat, omnem is Regiam conditionem lon-  
 gissimo excessit intervallo, & in ultimo  
 felicitatis humanæ versatur objecto, qui  
 est veri intellectus & boni. Quia verò, ut  
 in herbescenti segetum viriditate, certa  
 prope spes futuræ meslis apparere solet;  
 sic in primis etiam annis, moliente jam  
 natura unicuiq; indoli aptum fundamen-  
 tum, præludia quædam vel creïcentium  
 vitiorum, vel futuræ virtutis extant &  
 elu-

PANEGYRICUS. 63

elucet: & in te, Princeps sapientissime,  
divini ingenii, ac scientiarum omnium  
longè capacissimi protinus omina quæ-  
dam & auguria effloruere; non secus ac in  
Cyro, qui Persarum condidit imperium,  
cum adhuc pastore genitus crederetur, &  
Rex sorte ludendi à jocantibus factus verè  
jus regium in sodales exerceret, animus  
emicuit, quo deinde toti penè Orienti  
jugum imposuit: Aut in Catone, qui ab  
Utica, ubi torvum illum spiritum liber-  
tati impendit, nomen postea traxit, &  
tum paulò supra infantiam erat, cum  
Legati Latinorum, suæ genti jus civitatis  
Romæ oraturi, istius rei gratia, Livium  
Drusum, patruum ejus adirent, auspiciam  
effulsit severæ rigiditatis, qua ipse deinde  
tota vita inhorruit. Vel, cum adolescens  
admodum, trahi cives ac torqueri in Syllæ  
domo videret, generosa & sublimi voce  
rogaret, quare Syllam nemo interficeret;  
& cum pædagogus à quo ducebatur, eum  
metui ab omnibus dixisset, cur tu ergo,  
**E** respon-

## 64 MART. NESSELII

responderet, gladium mihi ad liberandam patriam non tradidisti? Itaque admodum propitia & favente Minerva literarum studiis, tanta pernecitate per amplissimos & spatiosissimos doctrinarum campos decurristi, tanta aviditate nectar illud literarum & ambrosiam hausisti, arripuistiq; ut similem veri, docilitate isthac incredibili, efficeres quorundam Philosophorum amabilem insaniam, quid discere, nihil aliud esse opinati sunt, quam reminisci, & recordari. Peculiari hercle quodam ac eximio factorum beneficio, in caelestibus naturis virtus non expectat annos, sed iis felici saltu antevertit: & sapientiae semina in ejusmodi animis, & comprehendunt facilius, & adolescunt tempestivius. Quemadmodum igitur praetexta Papirii jam tum curiae capax erat; sic adolescentia tua, quam primum caelo se peregrino, & mulla astrorum ignes, qui motu gaudent, credidit, & inclitam *Rostochium*, Sere-  
nis-

## PANEGYRICUS. 65

nissimo conspectu suo, ac præsentia longè honorificentissima exhilaravit, instructa tot tantisque studiorum præsidis, effugere non potuit; quin sceptræ vetustæ Academiæ protinus sponte quasi suo eruditis illis tuis manibus sese infererent, universusque Heliconis illius Balthici cœtus, sub blandum voluntatis ac nutus tui jugum, alacri & prompto obsequio, liberas cervices mitteret, teque non aliter, quàm Virbum aliquem Phœbum, religiosâ observantiâ horreret ac veneraretur. Quid verò tu indidem præclarum, quid magnificentum adeò gessisti? Num ocii vitiosâ captus dulcedine ac illecebra inerte traduxisti tempora? Absit nomen quoque, ut labes hæc, tanquam pestilens aliquod sidus, innocentiam morum tuorum & integritatem unquam adflaverit. Subibat animo, segnitiei torpore ac veterno diffluentes marcescentesque, morticinam carnem vivos, mentem brutâ

E 2

fove.



66 MART. NESSELI

fovere, ratione præditos. Circumspicere igitur, ac dare operam sedulo, ne quid res literaria caperet detrimenti exemplum solertia, pietatis, morum præire, legum autoritatem ac reverentiam factam tectam tueri, nec pati hebescere, improbitatem coercere, ac intra officii girum redigere.

*Hæ tibi erant artes, & in imo pectore  
cura.*

Præcipuè tamen, ac primaria animi destinatione, in libris hære, ac habitare, memoriam, atq; igneum illud ingenium diligentia ac exercitii lima excolere, præcepta vitæ salubria in usum seponere, pacis ornamenta, belli jus, æquitatem, & rationes depromere, dumq; alii tempus, cujus est sacrosancta possessio, & preciosissima, ac irrecuperabilis jactura, equitandi studio, extra quam artem unicam regunt filios nihil rectè doceri, jam olim questus est & indoluit Carneades, palæstrâ, saltu, fritillo, pilâ, aleâ, deterrimo illo  
pro-

## PANEGYRICUS. 67

prodigalitatibus instrumento, crapulâ, comestationibus, ac nescio quibus ineptiis nugamentisq; tramittunt, dum somno, publicano illi moroso ac difficili, vectigal justo uberius ac locupletius pendunt, & in plumarum ignavâ mollitie, tanquam conditiva siti, ac quasi sepulti, contabescunt, in partes omnes animum circumferre, in longitudinem consulere, normam regundi populi meditari, vigilare, ac multum olivi absumere. Longè jam tum averfus eras & alienus à deonestamentis, probris, & vibicibus literarum illis, qui vitæ Academicæ libertatem & privilegium, in occasionem rapiunt, & irritamentum impunè peccandi, extremamq; & profligatam licentiam, bonam vocant mentem, cui miselli nunquam litaverunt. Cæterùm quia ardor ille & cupiditas usurpandi oculis longè dispreta loca nondum in te deferbuit, refrixitq; sed vero incendio acriori exæstuarè cœpit & increbrescere, imitatus principem,

E 3

inge-

ingenii & Doctrinæ Platonem, qui ad Ægypti usq; fluvium beneficentissimum progressus, sitibundum pectus non tantum profana & seculari opplevit sapientiæ fruge, sed & de veritate literarum sacrarum libavit ac degultavit adeò, ut Numenius quispiam, quamvis imperitè, pronunciare non fuerit veritus, Platonem nihil aliud, quam Mosen Atticè loquentem esse: & Anacharsis Scythæ non barbaram generositatem, qui & ipse discendi gratiâ, Athenas, seu, ut tum vocabantur, *ελλάδος ελλάδα*, longum iter profectus est: eos denique, qui ad lac facundiæ Livianæ obstupefacti, surgendi ipsius causa, ab extremis usq; Gadibus Patavium advenere: eos, inquam, imitatus omnes, Svevos petiisti, inibiq; florentissimam celebritate doctorum virorum, Tubingam. Quanta tùm pectora omnium hilaritate imbueris, ac voluptate, quanto plausu ac gaudio cuncta  
urbis



urbis personuerint, qui pius livor, quæ  
 invidiosa æmulatio, quod certamen  
 honoris ac devotionis in te ex merito,  
 ac dignitate accipiendo, à primori-  
 bus quibusque, & majorum gentium  
 certarum fuerit, id vero ego cogitan-  
 dum natis non obefæ hominibus relin-  
 quere malo, quàm committere, ut  
 quicquam in transcurso, & inopia ora-  
 tionis pariter, de summâ rei detraxisse  
 videar. Illustrissimi certè VVirtember-  
 gici Principis *Friderici*, tantæ adver-  
 sum te extitit comitas, tanta affectûs  
 benevoli proclivitas, ut quibus potis-  
 simum modis, quibus officiorum ac stu-  
 diorum illecebris, quo prothymix ge-  
 nere voluntatem tuam sibi devincire  
 posset, ac demereri, discordi ageretur  
 sententiâ. Cernere porrò erat, frequen-  
 ter vos unâ esse, sermonem de rebus,  
 quâ seriis, quâ jocosis sociare, mensæ  
 uti communionem, ac præcipuè ani-  
 morum, Quorum singularis conspiratio,

ac veluti concentus quidam jucundissimus, tantopere universis gratus accidit, acceptusq; ut cuidam hoc Carmen Poëtæ expresferit:

*Hæc precor, æternos concordia duret in  
annos,*

*In Lunæburga, Tecciacaq; domo.*

Igitur, posteaquam modicum isthic loci substitisti, omniumq; in te admirationem, comitatu ac satellitio tot virtutum, convertisti, Senatus tibi Academicus, Varniaci iudicium suâ firmans suffragatione, fasces etiam confert magnificos:

*Et titulos titulis, & honoribus addit honores,*

Ut itidem alius de te cecinit. Quàm solerter, quàm fructuosè hanc provinciam admodum onerosam, tibi tamen non insuetam obieris, ac administraris, ut ego heic taceam, clamant ac vociferantur edita à te eâ tempestate scripta, & programmata longè facundissima, & succo, ac medul-

dullis rerum refertissima. Dissimilis tui  
 esse non potuisti; & qui semel virtuti, ac  
 indefesso doctrinæ cultui sacramentum  
 dixisti, abire ab eodem vel latum unguem  
 divortio quodam ac quasi transfugio, in-  
 decere te existimasti. Amœnissimū etiam  
 erat spectaculum, cum facundia fulmine  
 ac viribus pulpita. Auditorii quateres ac  
 frangeres, & coronam virorum ab ore  
 tuo inexhausta cum voluptate penden-  
 tem, vi quadam blanda ac amica raperes,  
 quò velles, ac extra ipsam poneres; adeò  
 ut quod olim Eupolis de Pericle scri-  
 psit, persuadendi Deam delenificam in  
 labellis ejus sesitare, solumq; inter Rhe-  
 toras, in audientium animis aculeum ac  
 stimulum relinquere, id si quis in te con-  
 gruere dixisset, vero haud prævaricari vi-  
 deretur. Procul adulandi causas habebat  
 Hornmoldus, Jurisconsultus, & Poëta cla-  
 rissimus, cum sic ex fide ad te scriberet,

*trepidasse palæstram,*

*Suggestumq; tuo sic pede fama refert,*

E 5

O me

*O me non aqua prognatum sorte, loquentis  
 Qui non audierim mellea verba Ducis.*  
 Exinde, cum jam doctrinæ omnimodæ  
 collectam ubertatem ac opulentiam, lin-  
 guarum præcipuarum haustam cognitio-  
 nem, ac instituta, scitaq; veterum Rerum-  
 pub. temporum rationes, situm terrarum,  
 populorum ingenia, mores, fœdera, sele-  
 cta, seposita ac velut in numerato habe-  
 res; cum consummatissimum instar ac  
 exemplum Principis verè eruditi es es  
 darésq; infesâ aliquandiu corona Ur-  
 bium Rheni Argentinâ, quæ admodum  
 Masiliæ veteris, omnis bonæ disciplinæ  
 magistra, neq; minus armorum, quàm  
 artium instructissima, officina est, lustra-  
 tisq; Galliâ, omnium regionum; quæ ad  
 occidentem recesserunt, felicissima; &  
 Italiâ, Europæ ocello, aliisq; nobilissimis  
 regionibus ac provinciis, patriæ te tan-  
 dem votis, cui secundum Deum, primas  
 pietatis partes deberi, magnus autorum  
 consensus est, supremi Numinis benigni-  
 tate,

PANEGYRICUS. 73

tate, inæstimabili tuorum cum plausu ac læticiâ, redonâsti. Salve literarum ingens decus; salve *Ducum* ornamentum, qui laudum, quæ in hominem cadere possunt, compos domi forisque; qui concursu ac præsidio tot tantarumque naturæ dotium, veritatem oraculi Platonici bonâ fide in te approbâsti, beatas videlicet fore tum Respub: & felices,

*Purpura cum sapiat, vel cum sapientia regnet.*

Nec enim de nihilo est, aut temerarium elogium, quod olim Imperatori, qui Tacitum cognominem sibi Historicum, vivum illum ac perennem civilis & militaris prudentiæ fontem, & nunquam, ut verè Sollius judicavit, sine laude loquendum, unicè dilexit, ac patrem appellavit suum, sceptrâ capescenti, à populo Romano, pulcherrimæ, & in omne ævum memorabili voce acclamatum est, *Quis melius Quam literatus imperabit?* Quod quidem dictærium sub inauguratione

*Ru-*

*Rudolphi secundi, augustissimæ memoriæ  
Principis,*

*Qui præter varias, quas mire calluit artes,  
Septem etiam linguis verba locutus erat,*  
auditum itidem esse, perhibent Historiæ  
Scriptores. Nam quemadmodum à cir-  
cumfusio aëre adspectus lumen accipit:  
Ita in imperiis gubernandis evidentia  
mens haurit præsidia à doctrinâ, & com-  
modat: nec teste Vegetio, sapientia ulli  
mortalium magis convenit juxta ac ne-  
cessaria est, quàm principi. nec quicquam  
tam regale, quàm sapere, & judicare. Igi-  
tur, quam primum animum ad guberna-  
tionem amplissimi patrimonii appulisti,  
id tibi negotii credebas solum dari, ut sa-  
lutem populi, quæ suprema lex est, &  
norma, finisq; regiminis ultimus, proraq;  
quasi quædam ac puppis, quibuscunque  
posses modis, naviter procuratum eas, &  
promotum: ut te omnes tam supra se  
esse, quam pro se scirent: ut curam tuam  
excubare pro commodis singulorum ac  
uni-

univerſorum quotidie experirentur: po-  
 ſtremo, ut te, ſpretis aliis, generoſo faſtu,  
 ac præclarâ ſuperbiâ, titulorum ampullis,  
 & ambitioſis blandimentis, nihil aliud  
 eſſe ipſe cogitares, quàm, ut vocat ſons  
 ingeniorum Poëta, Paſtorem populorum;  
 aut, ut Plato, cuſtodem. Sciebas, non præ-  
 eſſe ſolùm te, ſed prodeſſe debere; nec  
 tibi tantùm cives datos, ſed te etiam civi-  
 bus: adeoq; Rempub: non auream quan-  
 dam meſſem, velluſq; Jaſonium, non  
 mercaturam, aut negotiationem, ſed mu-  
 neris publici adminiſtrationem eſſe: prin-  
 cipatumq; tibi, non ad injuriam, ſed ad  
 beneficentiam à Deo, repetundarum  
 quondam acturo, committi. Obſervaba-  
 tur animo longè ſuaviſſimum Chryſantæ  
 Perſæ apud Atticam Scirenem Xenophon-  
 tem dictum, Principem bonum à patre  
 bono nihil differre, & laudatiſſima illa  
 imperatoris Adriani vox, Ita ſe inqui-  
 tis, Rempub. geſturum, ut ſciret rem po-  
 puli, non ſuam eſſe & optímí Principum  
 Tra-

Trajani, qui cum Præfecto prætorii gladium vagina vacuum, tanquam insigne potestatis, solemniter de more traderet, hoc, inquit, ferro pro me utere, si rectè, & ex utilitate illud gesfero, sin minus, fringito id adversus me. Legebas apud discretissimum Romuli nepotem, quemadmodum Gubernatori cursum secundum, Medico salutem, Imperatori victoriam: sic Reipub: moderatori, beatam civium vitam esse debere propositam, ut ea sit opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta. Et illud ejusdem. Qui Rempub: gerendam susceperunt, tutorum partes sibi traditas existiment, quorum procuratio ad utilitatem eorum, qui commisi sunt, non ad eorum, quibus commisi gerenda est. Persuasissimum habebas, istiusmodi Principem, clarum illud & beneficium sidus esse, ad quod omnes advolant, à quo rerum afflictarum tenebris ac caligini lucem serenitatemque præstolantur, non secus ac nautæ, ad ge-



PANEGYRICUS. 77

gemellos illos Castoras, sive Dioscuros,  
in tempestuoso & hiberno deprehensi  
mari respiciunt, qui cum navibus infi-  
derunt,

*tumida æquora placant,  
Colleēt asq̄ue fugant nubes, solemq̄ue re-  
ducunt.*

Constabat tibi liquidò, exemplar Dei &  
vicarium in terris esse Principem; Deo  
autem propriam beneficentiam: par esse  
igitur ac verum, ut quemadmodum Im-  
perii inter eos, sic & beneficiorum æqua-  
litas, ac communio existat; & qui benefi-  
cium dederit, Deos imitari. Eam etiam  
esse rationem, quamobrem olim con-  
suetudine communi, ac moribus rece-  
ptum fuerit, ut beneficiis excellentes ac  
præclaros viros in cœlum famâ ac vo-  
luntate tollerent, eosq; vel ἰσοθέως

Θεοικέλως, vel Ζαθέως, aut  
Θεοιδεῖς cum Poëtis salutarent.

*Hac*

*Hac arte pollux, & vagus Hercules  
Innixus, arces attigit igneas,  
Quos inter Augustus recumbens  
Purpureo bibit ore nectar.*

Quocirca non potuisti, Princeps Celsissime, suffragio tuo ac calculo non comprobare gloriam Augusti, cujus pia mens nullis honorum muneribus æquè lætata ac delectata est, quam cum ex decreto Senatûs, conspirante ac consentienti populi Romani voluntate, Valerii Messalæ voce, *Pater Patriæ* salutaretur. Novumq; illum ac inusitatum titulum, qui Tito Vespasiani filio, soli Principum in melius mutato, collatus est, ut felicissimâ nuncupatione, *Amor atque delicia humani generis* appellaretur. Quem pulcherrimum, & incomparabilem agnominis thesaurum, exinde mereri dignus est habitus, quod ingenio natus, & consuetudine exercitatus esset, ad devinciendas sibi benevolentia glutino hominum mentes: quod fixum propositumq; haberet, ne quenquam

quam sine spe bonâ dimitteret: quodque, cum se aliquando nihil cuiquam præstitisse recordaretur, non imperasse illo die, & totum perdidisse, egregiâ, & verè Heroicâ voce professus esset. Ex adverso, fieri nequaquam potuit, quin tanquam in auspicata piacula, ac horrenda monstra, in ultimasq; terras deportanda execraretis, dirisq; devoveres nequissimos illos bipedum Principes, strumasq; ac vomicas Imperatorii ordinis, qui obliti divini humaniq; juris, pudore omni ac verecundia diruti, calcata, ac profligata egregii publici cura, ac tutelâ, eversa libertate, ac in exilium missa; deniq; nullis etiam latebris, nullo velo turpitudinî quæsito cædibus ac libidinibus palam omnia miscebant, nec pensi habebant, vel foedisimis quibusq; flagitiis, innominandisq; sceleribus facerrimum caput alligare, ac obstringere: Quos inter familiam ducit C. Caligula, natrix Reipub: & terrarum orbis Phaeton, quemadmodum à

F

Ti-

Tiberio decesore, qui tamen ipse à Theodoro Gadareo, suo in arte Rhetorica præceptore, ob sævitix quædam jam tum se prodentia signa, & ingenii eximium stuporem, *lutum sanguine maceratum*, dictus est, nominabatur: qui de conditione temporum suorum queri solebat, quod nullis publicis cladibus insignirentur: qui optabat, ut populus Romanus unam tantum cervicem haberet: qui fratricidio manus sceleratas cruentavit; sorores incesto polluit; machina affabrè factâ tonitruis ac fulminibus, infano ac furioso conatu obstrepit; Jovem ad pugnam sine missione provocavit: novissimè, qui cum optimos quosq; è medio tolleret, Romam se purgare dicere solitus fuit. Prodi è latibulis tuis, Nero teterrima bellua, patriæ incendiariæ, parricida præceptorum, interfecto matris, auriga, citharæde, gladiator, fossa cinædorum ac cloaca. Tu flagitiosissimorum facinorum impunitate tumescens, gloriari consuevisti, neminem

retro

retro Principum scisse, quantum sibi  
 liceret. Quasi verò quicquam liceat,  
 quod legibus, quod more majorum, in-  
 stitutisque non conceditur: aut quasi o-  
 mnia viris bonis, quæ facere possunt, fa-  
 cienda sint. Sacer, & intestabilis est cul-  
 tor ille purpuræ, qui fœdam hanc vo-  
 cem eructare ausus est quicquid Regi  
 placeret, jus, fas piúmque esse. Nec eo  
 quicquam tolerabilior Euphemus, qui  
 apud Thucydidem pronunciat, viro ty-  
 ranno nihil à ratione alienum videri de-  
 bere, quod fructuosum sit. Rectiora do-  
 cet Publius Mimus, cujus elegans est iste  
 Senarius:

*Minimum debet libere; cui nimium licet.*  
 Et sacratissimi Imperatores rescripse-  
 runt ipsi; Dignam esse vocem Majestate  
 regnantis, legibus alligatum se profi-  
 teri. Domitianus, opprobrium illud ac  
 dedecus Flaviæ gentis, natus in exitium  
 generis humani, edictis publicis, vecor-  
 di, fastu ac typho, hæc verba præscribere

solebat, *Dominus & Deus noster sic fieri iussit.* Eidem bestiaë quotidie moris erat, secretum horarium captare, nec interea quicquam aliud agere quàm muscas captas stilo configere. Ad quod quidem Musci capitanei illius musculum facinus, Vibius Crispis orator delectationi natus, ut ait Fabius; aut, ut Juvenalis,

*Cujus erant mores, qualis facundia,* ancipiti allusit joco. Cùm enim rogaretur, ecquis esset cum Cæsare in conclavi; ne muscam quidem intus esse, respondit. Sed nec unquam institutis eorum accedere atq; applaudere voluisti, *Princeps,* qui improbæ habendi ingluviei nullum statuunt modum, qui fortunis ac opibus civium inhiant, imminentq; , eosq; non secus ac sanguisugæ hircines omni succo medullitus emungunt, atq; exhauriunt: bubulcos imitari, qui tantò feliciores putantur, quantò plus mulgeant: Tyrannionemq; Italicum illum, qui in-

tole.

tolerabilem tributorum servitutem deprecanti cuidam, Quæ, malum, respondit, vestra impatientia est? *Quo frequentius plumæ evelluntur anseribus, eo meliores referunt.* Quorum ærarium fiscusve, civium spoliarium est, cruentarumq; prædarum receptaculum. Qualis Harpyja Verres quoq; erat, Sicilia illud everticulum. qui plus è provincia vectigalis auferbat, quàm fructus nati essent; ut non modò granum nullum, sed ne paleæ relinquerentur. Flagrat in hunc usq; diem apud posteritatem infamia. Flavius ille qui procuratores suos spongiæ instar habuit, quod & siccos madefaceret & exprimeret humentes: cujus apud Alexandrinos ob sex obolos viritim exactos, adeò imminuta & labefacta fuit autoritas, ut eum coram Tito ejusmodi convicio publicè perstrinxerint, *Ignoscimus Vespasiano, quia nescit imperare,* cujus tributo è mendicis extorto, nihil inhumanius; urinario, nihil putidius; vel auro, quod è

fimo equino collegit, sordidius legimus. Quinimo nonnullorum avara cupiditas eo usque progressa est, ut nec à foricis locandis abstinuerint. Pescennini Nigri barbara vox est; qui cum provinciales levare terras consitione postularent, ego vero, inquit, *aërem etiam vestrum censere vellem.* Antigonus, cum pecunias rigidè exigeret, & ipsi objiceretur, quòd non fuisset ejusmodi Alexander; rectè inquit: *Asiam enim demetebat ille, ego spicas lego.* Idem præfecto Munichiam obtinenti scripsit, ut non modò millum validum (intelligebat arcis præsidium) sed canem etiam strigosum faceret, ademptis nempe populo Atheniensi facultatibus. Prædonis verba sunt, non Principis, *scis quid mihi opus sit; & hoc age, ne quis quicquam habeat.* Antoninus Caracalla, vel Aufonia potius ferat, sicut eum increpuit oraculum, ostenso gladio, *quamdiu, inquit, hunc habebimus, pecunia non deerit, quam etiam*



etiam sibi soli esse debere, præterea nemini, dicebat. Tu indulgentissime Princeps, odisti cum Alexandro hortulanum, olera radicitus evellentem ac extirpantem, & cum Constantio, qui Diocletianum, paupertatem ipsi per legatos exprobrantem, objicientemque, promptò subditorum obsequio & mirifico in conferenda liberaliter pecunia ardore, ac certamine, ludos fecit egregiè, melius à privatis publicas opes haberi, quàm intra unum claustrum observari existimas. Nec enim unquam Principi defuturi sunt thesauri, cui populi non deest amor, fides, benevolentia, & maximum bonum, uti Poëta ait, *ΠΕ-*

*Ιαρχία*. Quæ omnia subjectis, ut alia, non imperantur. Spontanea sunt, & omnis violentiæ ac necessitatis impatientia; eademque ipsis simus, & verus Principis thesaurus. Ignorant

## 86 MART. NESSELI

verum iter gloriæ, qui metui à suis, quàm diligi malunt. Charum esse, bene de Re-  
pub: mereri, laudari, coli, gloriosum est: metui verò, & in odio esse, invidiosum, detestabile, imbecillum, caducum. Nihil est ad opes parandas & tuendas aptius, quàm diligi: nihil alienius, quam metui, Nam, ut præclare Ennius, quem metuunt, oderunt: quem quisq; odit, perisise expetit. Apage Sanguinarium illud, *Oderint, dum metuant*, quod illi ipsis qui dixerunt, perniciosum fuit, & maximam malam crucem attulit, nullum imperium tutum est, nisi benevolentiam munitum. Malus est custos & obses diuturnitatis metus: benevolentia fidelis est vel ad perpetuitatem, & regni verè adamantinum vinculum, roburq; insuperabile. Parum ædepol stipantia satellitum agmina Principem tuentur: parum arces montibus impositæ, parum educta cœlo propugnacula, ac moles, nisi non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate, civium suorum  
ani-

animis instillet: qui si violenter, contumeliosèq; sint habiti, imperium dedignantur, detrectant, & ad arma libertatis assertricia efferantur, iisq; sunt ipsis formidini, quos antea miserè formidabant. Qui beneficio, qui clementiâ adjunguntur, ex animo faciunt, student par referre, objectare se pro Principe mucronibus insidiantium paratissimi, & substernere corpora sua, si per stragem illi humanam iter ad salutem sternendum sit. Hæc igitur arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere: nec tam terrore succingi, quàm charitate sepiri.

*Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,  
Quam tutatur amor.*

*inutile ferri*

*Præsidium est.*

Diutius justo forsitan in commemoratione exemplorum, & firmando Principatui stabili fundamento hæsi, immoratusq; sum. Fidentem me fecit, Princeps singularis

88 MART. NESSELI

laris tua humanitas ac mansuetudo, quâ inductus sum ipsa, ut certò mihi pollicerer, probatum Tibi iri curiositatem hanc nostram, quâ te Tibi tanquam in speculo ostendo, in quod intuitus, sincerè in sinu gaudeas ac quasi triumphes, quod intactus, ac major omnibus istis vitiis, supra has feces, & animi quædam quasi nubila, morum tuorum ac virtutum alâ caput extuleris, nomenq; inter Principes, quotquot perennitati literarum unquam consecrati, vera laudis adorea, & merita gloriæ nobilitate inclaruere, dederis pariter ac profusus, fueris.

Sic qui de fluctibus, & naufragâ evaserunt rate, arenulam securis osculis adorant, Oceanumq; de litore lultrant, & vada, quibus eo, iniquior illisfit tempestas, gratisfimo horrore contemnunt.

Porro cum magna fortuna, magna servitus sit, id agis Princeps, ut ad aditum, atq; admissionem tuam nemini præcludatur

tur

## PANEGYRICUS. 89

rum commoditatis articulus: utq; populi querimoniis, ac necessitatibus aures tuæ pateant semper benignissimè, æquitatiq; ac justiciæ congrua impertiatur sententia clementissimè. Præiit tibi virtutis hujus exemplum RUDOLPHUS Imperator, primus auctor, & fons magnitudinis Austriacæ.

*Qua veluti validis tellus stat fulta columnis.*

Is enim cum tenuiores aliquot homines aditum ad eum captarent, & satellites adspernati hoc genus rejicerent, animadvertit. & per DEUM, inquit, finite homines ad me venire. Non enim ideò Imperator sum, ut in arcula includar.

PHILIPPUS verò MACEDO, cum fœmina ipsum adiret, desiderium aliquod expositura, atq; is negaret, sibi vacare, hoc animoso mulieris verberatus est responso; **NOLI ERGO IMPERARE.** Quid dicam, ut pro tribunali sedens, judiciorum munia ipse obeas, ambigua causarum  
fata

fata dirimas, lapsa erigas, fatigata repares, jus cuiq; suum æquabili ratione divides? Perinde ac PHILIPPUS, ille EVANGELICÆ saltatriculæ maritus, qui quoties, domo egrederetur, iter cum paucis faciebat sub sequente sellâ: in qua sedens solitus fuerat jura reddere: & si quis ex occurſu opem ejus invocabat, sine dilatione mox posita ibi sella residens, causam cognoscebat, aut fontem damnaturus, aut innoxium absoluturus.

Quamvis verò in summis illis, & verè divinis benignè, clementer, mansuetè, moderatè, justè, pacificè gubernandi partibus artibusq; paucis admodum, qua veterum, qua recentium sis æquiparabilis; admiranda tamen, sublimi, diffusa, ac omni-formi quâdam eruditione, quis est, si à sole etiam quærat ipso, qui paria facturus, componi tecum, atque contendere possit? ipse medius fidius, qui ab actu rerum & celebritate, tanquam à CAPHAREO quodam, & infami MALEA abhorrent:

PANEGYRICUS. 91

rent: qui EPICURI illud vulgare LATENTER vivas & amplexantur confertis manibus, & exosculantur unicè: denique, qui umbraticæ vitæ adfuefacti in librorum contubernio ac diverforio, industriæ suæ vim ac impetum defigunt, franguntq; , nimiaq; sapientiâ tanquam ægritudine aliqua laborant, quod de Democrito suo Abderitanæ pectora plebis dicebant; nec præ studii commendatione ac fervore, cibi potusq; meminere, ad exemplum Carneadis illius, qui propterea inedia contabuisset, nisi ancillulæ operâ, ac adminiculo, pulstem tanquam in os pueri insertantis, pertinax ille meditationis spiritus servatus fuisset: ipsi, inquam, qui à cæteris rebus feriati, solis incumbunt literarum ac doctrinæ monumentis, fasces tibi ultronea confessione submitunt, & palmæ decus honoremque obviis ulnis offerunt, ac porrigunt. Extant hercle, & non nisi cum stupore & horrore quodam sacro, ab elegantium Candidatis literarum

rum



rum leguntur, illustrissima ingenii tui monumenta, cum de rebus aliis præclaris ac eximiis exquisitissime scripta, tum præcipue de occultâ, secretaq; scribendi ratione, quam Steganographiam vocamus, operosissime concinnata. Quod opus nullâ voce, nullo orationis genere, quamlibet copioso ac magnifico, pro dignitate celebrari posse, omnes, qui severa lege profecerunt, ac senatores suffragii primi ac subsellii in Rep. eruditâ censentur, (vulgus enim profanum ab ingressu quàm longissime arcetur,) unanimi sententia asseverant, & potius religioso silentio venerandum, quàm impari laude deterrendum consciscunt. Ut olim ingeniosus pictor velo obumbravit, quod penicillo exprimi posse desperabat. At, quo tandem modo, aut quibus ego verbis lectionem tuam codicis sacrosancti describam? quæ animum tuum tanta perfundit ac mulcet dulcedine, nexuque quasi ac mancupio sibi vindicat,

ut



ut eos etiam, qui ad clavum sedent religionis, & mysteria cœlestis sapientiæ de fastigio suggestus populo Christianis sacris initiato, voce tremendâ pandunt ac distribuunt, assiduâ rerum divinarum contemplatione, in ruborem des ac verecundiam. Hoc est volumen illud legis, quod recedere ab ore Principum non debet; quod nocturnâ juxta ac diurnâ versari manu severiter supremus rerum arbiter & moderator præcepit: præsidium vitæ & amussis, pignus jucundissimum, ac syngrapha cœlitus nobis data, ne in dubium veniremus de pollicitationibus Domini nostri Jesu Christi, deq; Spe æternitatis divinitus pronunciatæ: cujus neglectus, contemptusve certissimam semper trahit perniciem, & interneccionem. adeò ut aureum illud os patris venerabilis, verè dixerit, omnium malorum causam esse neglectum lectionis Bibliorum, quæ sunt animæ medicina. Nec verò limitibus istis  
tua

tua se claudit, constringitq; pietas. Ulterius profers inusitatae solertiae gradum. Viderunt, quibus tam beatis esse licuit ac fortunatis, manu tua, doctissima illa exaratas ac descriptas, à capite, quod ajunt, ad calcem oraculorum Divinorum Pandectas, & ad tantum, tamq; memorabile facinus, quid ni admirabundi obstupuerint? Constantinus Magnus, Victor Maxentii, Pharaonis illius Novi foederis, eundem augustissimum, & religiosissimum librum, sumptu inestimabili, in plurima transcribi exemplaria, & singulis Ecclesiis Codices distribui curavit. Tu, sacratissime Princeps, longè illi hoc nomine antistas: qui ingentem hunc laborem non alienae patientiae obtrufisti, sed vero tuae ipsius alacritati imposuisti. Juvat, & operae esse videtur pretium, depromere ex Historiarum penu exempla aliquot eorum, qui heic quoq; satagei fuere, & conferre pariter aliquid voluerunt, ad amplianda juris Divini pomœria. Eximius

Regum

PANEGYRICUS. 95

Regum Alphonfus, tam enixè, & bona fide  
sacrorum munimentorum studio se de-  
dit, ut prævertendam eam curam aliis o-  
mnibus statuerit. & Biblia, ut vocant, sa-  
cra, quater & decies, cum commentariis  
etiam laboriosissimi Liræ, & additionibus  
Brugensis perlegerit. Quam Regis piam,  
& indefessam sedulitatem, utinam imi-  
tatione exprimere conarentur, qui sa-  
cram illam, & curarum plenam provin-  
ciam, quæ ministros olim quærebat, mul-  
to ambitu nunc sibi deposcunt, nihil mi-  
nus quàm de laboribus cogitantes; aut  
de eo, quod S. Bernhardus alicubi descri-  
bit: Sacerdotium non est ocium, sed ne-  
gociorum negocium: fortasse interdum  
devoverent illam ipsam, qua exultant dif-  
fluuntq; ocii licentiam, & recordarentur,  
se in specula positos, diciq; pastores; si  
quæ ovium sua ignavia in prædam con-  
cesferit, in extremam suam perniciem  
hoc futurum. Franciscus Ximenes, rigidi  
servator honesti, Archiepiscopus Toleta-

G

nus

Toletanus & Cardinalis, impensis ducatorum sexcenties millenis millibus, opus Complutense, in sex tomos tributum, in publicum emisit. Hoc profecto opus ut inter instrumenta, & adminicula, quibus superioris seculi tenebris, clemens Deus doctrinæ cœlestis puritatem in lucem revocare voluit, meritissimo numeremus, ipsa à nobis jure suo videtur flagitare pietas Ptolomæum Philadelphum, Ptolomei Lagi filium. antiquitatum Judaicarum Scriptor narrat, cum ipsi dulcedine Philologiæ accenso à septuaginta interpretibus, libri sacri aureis literis elegantissimè descripti porrigerentur, præ gaudio lacrimas uberrimas profudisse. Divinæ quoque providentiæ opus singulare & admirabile agnoscimus, quod Rex a fide alienus, & gentilitia superstitione immersus, eam interpretationem sacrarum literarum in manus Ecclesiæ transmiserit, quam ea postea suscepit, & retinuit. Attolle animum Princeps

PANEGYRICUS. 97

ceps & in conscientia præclarissimorum tuorum factorum securè acquiesce. Nulla erit tam surda fama, nulla tam ingrata posteritas, quæ opus commendationum tuarum, divinum illud, & supra captum mediocritatis, jamq; , ut fama est, sub prelo feliciter gemens, attonitâ non admiretur mente, & tanquam luculentum cœli depositum, favore non prosequatur & laudibus, non in sinu ferat, non in oculis. Hoc est illud monumentum, quod in secula ibit annos, feret, & à vetustate ipsa florescet, ac incrementa sumet. Eant verò Principes, & memoriam sui venerationemq; exædificare, & in posteros transfundere contentur, titulis, arcubus, statuis, pægmatis, trophæis, theatris, porticibus, basilicis, saxis, Mausoleis, Colossis, Pyramidibus cæterisq; id genus regix magnificentix sive ostentamentis, sive ludibriis. Quicquid extruxit humana industria, destruet. Ipsa rerum consumptrix confectrixq; diuturnitas, operibus,

lapidi etiam, in quo fatalia Parcarum decreta incisa esse prædicant Poëtræ, commissis, bellum indicit, & luctata diu, conflictataq; cum iis, tandem dejicit, ac prosternit. In sola literarum indole æternitas quæritur & invenitur. Quò magis tibi, Princeps, curæ cordiq; fuit ut quantumcumq; extat ingeniorum, quorum scripta albis quadrigis in famæ templum subvehuntur, & immortalitate compotuntur, in sapientiæ tuum armamentarium, hoc est, Bibliothecam compelleres, inque eorum animos tanquam per Momi fenestellam, ac quandam quasi transennam intuereris o spectaculum jucundissimum, & auro contra non carum! Nimirum felicitas, quæ in rebus humanis est, & ad mentem illam immortalem quàm proximè accedit, veramq; ac solidam parit voluptatem, non in corpore, quod quasi involucrum quoddam & cortex hominis est, non ipse homo; neq; in opibus, quæ bona imaginaria sunt, & mera fortunæ

mis-

misfilia, tollenda ab iis, qui non norunt, ut de Diademate Regio pronuntiabat cordatus ille Macedo Antigonus; & quibus in ipsis eidem levissimæ Dominæ tanquam in servo fugitivo, sempiterna manus est injectio: sed in mente, unico illo beatitudinis terrestris instrumento, consistit. Huic verò ritè excolendæ, nulla res aptior, commodiorq; est, quàm non colorem mortuis fieri, quod Zeno Citiensis, honestè vivere cupiens ab oraculo jussus est facere; hoc est, incumbere ad pallorem usq; libris, mutis illis magistris, ac consiliariis; Vivere cum mortuis eorumq; hâc ratione colorem quodammodo induere. Hi sunt illi sapientiæ consulti, sacerdotes veritatis, disciplinarum omnium promicondi, delibuti, & decerpti ex æternitate animi. Horum ductu auspiciisque, arduam illam rupem, & sublimen speculam, quam D. Hieronymus ad Heliodorum scribens tantopere desideravit, conscendimus, unde totius orbis terrarum,

100 MART. NESSELI

seculorum omnium, atq; ætatum popu-  
pulos, eorumq; mores ac ingenia, bella  
Principum, leges prudentium, situs re-  
gionum & Urbium, consilia omnia, omnes  
actiones, earumq; eventus uno quasi mo-  
mento, conspicere ac pellustrare, & quod  
ex usu fiet nostro, aliorumq; haurire pos-  
simus, ac decernere. Horum solo prope-  
modum conspectu, immortalitatis ardore  
corripimur, & honesta, ac generosa aliquid  
tentandi cupiditate inflamamur: & quem-  
admodum Themistoclem trophæa Miltia-  
dis dormire non sinebant, sic eorum cele-  
britas, ne cogitare quidem nobis aliud per-  
mittit. Qui, quamvis diu naturæ, fatisque  
conceserint, in paginis tamen, Chartisve  
suis vivunt; maximis de rebus nobiscum  
suaviter conferunt, ludos jocosq; seria et-  
iam miscent; & humanæ vitæ brevitatem  
claritate mentis extendunt, ac profe-  
runt. Itaq; credibile est, Princeps doctis-  
sime, quoties eruditionis hoc domici-  
lium, hoc sapientiæ sacrarium, hoc magna-  
rum





habebit, & decus tuum illustrabit allegata  
nonnullorum autoritate exemplorum,  
Igitur non recens, & nuperum inventum  
est libros instruere, supellectilem divinæ  
humanæq; sapientiæ luculentam ac præ-  
stabilem cumulare. Jam inde ab Enocho  
usq; æternitatis Candidato, qui primus  
vaticinia sua literarum monumentis con-  
signavit, & ad posteros traditione per ma-  
nus quasi factâ, tramisit, instituti ejus  
origo petitur, & antiquitas: Moses etiam,  
& postea Esdras sacerdos, in colligendis  
Hebræorum libris studiosam posuere ope-  
ram. Hos æmula solertiæ laude infecuti,  
sunt maximi quique viri, nec cura hæc  
prius antiquiusque quicquam habuere.  
Nabuchodonosor enim condidit Baby-  
lonicam; Pisistratus Græcam, Ptolomæus  
Philadelphus, qui in apice ac fastigio lau-  
dis hujus collocari merito debet, Alexan-  
drinam. Ejus enim stupenda liberalitate,  
septuaginta voluminum millia compor-  
tata sunt, eorumq; cura Demetrio Phale-

reo,

## PANEGYRICUS. 103

reo, virorum maximo, & cui populus Atheniensis trecentas Sexaginta statuas æreas anno uno, eoq; non toto, honoris ergo, vivo videnti q; posuere, commissa: Idem, incredibili in studia doctrinæ amore, clarissimos Græciæ Poëtas, Pleiadum nomen à numero nactos, uno eodemque tempore complexus est comiter, & aluit benignè. Alphonsus, Regum id seculi sapientissimus, præterquam, quod nullam majorem, vel jucundio rem voluptatem capere se prædicaret, quam ex cætu ac sodalitia virorum insignium, & qui cæteris una præcipuè eruditionis laude præcellerent, sumptuosissimum etiam rei literariæ exstruxit promptuarium, & inter mortuas ferè Musas suscitavit ab inferis, enixèque locupletare contendit. Bibliothecam Vaticanam à Pontificibus cum maximè recentibus, non tantum structurâ splendidissimi ædificii, sed & numerosâ admodum multitudine lectissimorum librorum exornatam, auxit & amplificavit.

G 5

Pala-

104 MART. NESSELI

Palatina inter Germanas facile princeps,  
è direptione Heidelbergensi, exortâ in  
Bohemia infelicis incendii flammâ, o-  
mnem ferè Europam amplexa, Romam,  
ut fama est, misâ ac translata. Vene-  
tam, insignem & copiosissimam reddi-  
dit munificentia Besfarionis, Cardi-  
nalis Niceni, & Patriarchæ Constanti-  
nopolitani. Laurentius Medices, maxi-  
mus ingeniorum educator, & libera-  
lis artium omnium ac elegantiarum  
pater, absolvendæ Bibliothecæ deside-  
rio tantopere tenebatur, ut Johannem,  
Lascarem, Græcorum ferè omnium, qui  
Ottomannicis armis patria pulsi in  
Italiam confugerunt, nobilissimum atq;  
doctissimum, ad conquirenda volu-  
mina, Byzantium cum legatione ad  
Bajazetem miserit. Laurentii genuina  
soboles Leo Decimus, ad ornandam  
virtutem cœlo datus, ac demissus, C. Cor-  
nel. Tacitum, quem cognominis Impe-  
rator describendum quotannis multis  
volu-

voluminibus, & in bibliothecas hinc inde collocandum singulari mandato curavit, jam tùm prudentissimi scriptoris interitum metuens, inter pluteos monasterii cujusdam in VVestphaliâ, eximîâ felicitate repertum, cum cætero qui nuspiam extaret gentium, immenso emit precio, & veluti insignem gazam, ut certè est, postlimino quasi in civitatem Latinam reversum, summoperè exosculatus est. Diversissimus à Xysto Pontifice, cui cum Theodorus Gaza, vir acumine ingenii fertilitateq; singularis, eruditissimas lucubrationes in membranis accuratè perscriptas obtulisset, nec quicquam, vel librarii operæ exolvendæ, recepisset, indignatus agreste illiberalis hominis judiciû, & reliquâ operis parte in Tiberim projecta; *effugere hinc lubet, inquit, postquam optimæ segetes in olfactu præpinguibus asinis sordescunt.* Aut ab illo Principe, qui pro luculenti operis dedicatione, thecam pulveris tormentarii remisit.

Nefas

106 MART. NESSELI

Nefas fuerit & piaculum grande, silentio  
te præteriri Matthia Corvine, Pannoniæ  
Rex, non invictis modò armis, sed magni-  
tudine animi, admirabiliq; virtutum o-  
mnium congerie cunctorum tuæ ætatis  
Regum decus longè antegresse,

*quem magna fatentur*

*Facta fuisse Deum, fata fuisse hominem;*  
Tu enim, quicquid ocii è gravissimis oc-  
cupationibus succidere poteras, id totum  
evolvendis annualium, aliorumq; id genus  
librorum paginis impendebas, multusq;  
visebaris in Bibliotheca quàm exquisi-  
tis libris, nullo deterrente sumptu, re-  
fertissimam effecisti, adeò ut Johannes  
Sommerus Poëta elegantissimus, in Re-  
gibus Hungariæ Carmine Elegiaco ve-  
nustissimè descriptis de eà sic testaretur:  
*Nunquam visa fuit majori cõdita sumptu,*

*Omnigenos servans Bibliotheca libros.*

Negabas itidem Regem aut Ducem con-  
summatae virtutis, & gloriæ famam adi-  
pisci posse, sine literarum præsidio. Istinc

enim

enim omnis ætatis instituta militiæ,  
 ipsaq; antiquorum stratagemata edisci;  
 & qua alii ex veterum exemplis, lectione  
 sola facilè consequantur, ab ignaris lite-  
 rarum, nisi longissimi temporis experi-  
 mento, ac propemodum jactura, vix etiam  
 percipi. Et certè ita res habet. Si quis  
 enim à lectione recentibus bonorum auto-  
 rum transferatur statim ad civilem, ad  
 bellicam administrationem, pari indu-  
 striâ, pari contentione, pari felicitate  
 quidvis suscipiet, geret, consummabit,  
 sive ad togam, sive ad sagum pertineat,  
 atq; illi ipsi, qui totam vitam ærumnosè  
 in talibus actibus contriverunt. L. Lucul-  
 lum Tullius narrat, cùm ad Mithridati-  
 cum bellum missus à senatu esset, non  
 modò opinionem vicisse omnium, quæ  
 de virtute ejus erat, sed etiam gloriam  
 superiorum. Idq; eò fuisse mirabilius,  
 quod ab eo laus imperatoria non admo-  
 dum expectaretur, qui adolescentiam in  
 forensi opera, quæsturæ diurnum tem-  
 pus,

pus, Murænâ bellum in Ponto gerente, in  
 Asiæ pace consumpsisset. Itaq; partim  
 percunctando à peritis, partim rebus ge-  
 stis legendis tantum profecit, ut in Asiam  
 factus imperator venerit, cum esset Ro-  
 ma profectus rei militaris rudis: ut ille  
 Rex post Alexandrum maximus, hunc  
 à se majorem ducem cognitum, quam  
 quenquam eorum, quos legisset, fate-  
 retur: ut cum exigua vix undecim  
 millium manu, innumerabiles hostium  
 phalanges adortus, peditum cæderet ad  
 centum millia equitum ad quinquaginta:  
 ut Regem Regum Tigranem, &  
 quicquid gladiis jam retusis occidi non  
 poterat, in fugam se conjicere, compelle-  
 ret; ad ultimum, ut à Pompeio Magno  
 Xerxes togatus appellaretur. Usq; adeò  
 verum est, quod idem

*Flos illibatus populi, suadaq; medulla,*  
 ait, nusquam facilius, aut bellicam rem,  
 aut omnis Reipublicæ disciplinam, cogno-  
 sci, quam ex annalium monumentis. Nihil  
 mo-



moramur Annibalis, Ducum ferocissimi  
 factum ac arrogantiam, qui Phormionem  
 de rebus disferentem bellicis, pro deridi-  
 culo habuit, ac petulanter illufit. Nihil  
 Sfortiæ vero abfonum dictum, quò literas  
 & arma conjungi in eodem & maritali  
 pofse negabat; quod tamen antiquitas in  
 Pallade armata, & in Martis, Mercurio co-  
 pulati imagine adumbravit: hoc summam  
 ruditatem velantis obtentu, quod quâ  
 manu pilum ac ensem tenere didiciffet,  
 eâdem ftillum, & calami ductiones tractare  
 nequiverit. Nihil aliorum vecordem in-  
 faniam, quibus omnia eruditorum de mi-  
 litiaæ ftudiis confilia, ac decreta, febricitan-  
 tium fomnia, deliria, ac nugamenta vi-  
 dentur. Plorare eos jubent ac ejulare Ar-  
 chitas Tarentinus, Meliffus, Socrates, Pla-  
 to, Xenophon, Pericles, Themiftocles  
 Epaminondas, Scipiones, Fabii, Marcelli,  
 qui omnes præterquâ quod doctrinaæ glo-  
 ria cõfpicui effent ac celebres, partim exer-  
 citus ipfi ductores ac copiarũ erant, partim  
 egre-

## VVO MART. NESSELII

egregiam in bello civibus suis operam præstitere. Superioris seculi tempestate, magnanimus Heros, ac summæ dignitatis sexagenarius Imperator Trivultius, tanta elegantium literarum ardebat cupiditate, ut inter Juvenes Parrhasii auditores, inusitata facundiæ majestate Latinas Mediolani literas profitentis, frequens conspiceretur. Brisacum Regiæ militiæ in Gallia Ducem longè celeberrimum, cujus è Scholâ pulcherrima, tanquam ex equo Trojano plurimi prodiere milites, omnibus disciplinæ militaris præceptis ad miraculum instructi, historiæ memorant, quod Buchananum, seculi sui Poëtarum facile Principem, quo elogio primus eum cohonestavit Henricus Stephanus, vir longè doctissimus, filii sui Præceptorem, Martis oracula, ingenti omnium cum stupore loquentem, consiliis militaribus, unâ cum exercituum Ducibus adhibuerit, ejusq; monitis obsecundans felici successu res gesserit. Memorabi-

PANEGYRICUS. III

rabilis vox est apprimè, Magni illius Hospitalii, Galliæ Cancellarii, qui cùm bellum adversus Hugonotas, ut vocant, dissuaderet, & à Guisii Galliæ vitricis ac turbonibus reprehenderetur, non convenire, dicentibus, togatæ ipsius conditioni de belli rebus disferere, atq; adeò fallacem in messem alienam immittere, fidenter, & animosè respondit; arma quidem tractare se manibus non didicisse; cæterùm ex libris fidis, rerum custodibus, de belli causis & rationibus tam gerendi, quàm omittendi abundè edoctum esse. Et me hercules, si oculos porrò in Historiarum latifundiis circumferre velimus, veterumq; memoriam rerum ac temporum replicare, inveniemus, maximos quosq; belli duces à societate & confortio virorum sapientium, & literatorum nequaquam abhorruisse. Nestorem Agamemnon; Pericles Anaxagoram, Perianther Thaletem, Hiero & Pausanias Simonidem, Cræsus Solonem, Timotheus Iso-

H cra-

## 112 MART. NESSELI

cratem, Epaminondas Lyfiam, Xenophonem Agesilaus, Architam Philolaus, Cato Athenodorum, Lucullus & Marius Archiam, Scipio Panætium, Polybium, Ennium, qui etiam in sepulchro Scipionum è marmore collocatus memoratur, non solum in capiundis consiliis socios adsciverunt, sed velut actionum suarum theatrum, & quædam quasi oracula secum circumdixerunt. Philippus Macedo, calliditate ac solertiâ ingenii Regum nemini secundus, Aristotelem, sibi ab omnibus consiliis, & arcanis annos octo integros, esse voluit: natumque; ejus tempore Alexandrum esse, sibi gratulatus est. Habeo, inquit Diis gratias, non proinde, quia mihi natus est filius, quam pro eo, quod temporibus tuis nasci eum contigit. Spero enim fore, ut edoctus, eruditusque; abs te, dignus existat & nobis, & istarum successione rerum. Nec eum fefellit ac frustrata est opinio. Nam, quantus postea fuit, cum universo orbi imperaret Alexander,

PANEGYRICUS. 113

der, tantum Aristoteles in sinu prope  
 ac gremio patris formavit; Idem Peri-  
 pati Princeps, tantum momenti ad  
 imbuendos sublimes animos Heroicâ  
 generositate, & multi jugâ sapientiâ  
 Homeri duplex volumen adferre puta-  
 vit, ut nihil majus in tam ampla vete-  
 rum autorum copiâ invenire, aut offerre  
 Regi suo potuerit. Quem is postea Poë-  
 tam tam familiarem, ut melius Achillis  
 victorias, quam suas recenseret; tam  
 charum, ac in tanto precio habuit, ut  
 cum Indos auro gemmisq; divites ex-  
 pugnasset, nihil adhuc Homero precio-  
 sius ostendere posset. Nec præterea defue-  
 re, qui plus exermi ac imbelli linguæ præ-  
 sidio, quàm valido copiarum ac exerci-  
 tum robori tribuerent. & Euripidis illud,  
 cujus singulos versus, singula se testimo-  
 nia putare dixit Cicero, nihil esse quod  
 ferro, quin idem oratione confici possit,  
 assensu suo comprobarent. Pyrrhus Epi-  
 rotarum Rex longè maximus, plures se

H 2

urbes

## 114 MART. NESSELII

urbes & regiones disertâ Cyneæ Thesali  
facundia occupasse ingenuè fassus est,  
quàm armorum violentia. Gentium il-  
lam domitricem Romam, plus uni Cice-  
roni, cum sceleratas Catilinæ in patriam  
machinationes, nefariaq; consilia viri-  
bus eloquentiæ dissparet, ac elideret, de-  
buisse, quam omnibus, quotquot bellicâ  
virtute fines protulissent imperii, apud  
sapientes quidem, extra controversiam  
est positum. Quantum Jacobi Sturmii,  
viri verè nobilis & prudentis autoritas,  
& Suada apud Imperatorem è Carolis  
Quintum voluerit, sensit cum primis ma-  
gno suo bono Respub. Argentoratensis,  
quæ confœderatorum partes in bello  
Schmalcaldico secuta, irato admodum  
Cæsari, ope Sturmii, exiguâ multâ, con-  
ciliata est, ac in ejus gratiam reduc-  
ta. Accedit, quod Musarum delubra arma-  
tos Imperatores coluisse, & Fulvium il-  
lum, qui cum Ætolis Ennio comite pu-  
gnavit. Martis manubias Musis conse-  
cras-

## PANEGYRICUS. IIS

crâsse, ex Tullio discimus. Plutarchus etiam refert, Spartanos iisdem ante prælia immolâsse, ut res eorum gestæ ornata Historiam consequerentur. Nec alio pertinere credendum est fœdus Herculi cum Musis initum;

*Sit ut eas clava defenderet ille trinodi  
Patronus, patrio complectens corde Cli-  
entes:*

*Illæ præsidii benefactorumq; vicissim  
Ipsius memores, generosa & fortia ma-  
gnam*

*Facta celebrarent longe lateq; per  
orbem.*

Unde eundem, ceu *Μουσῶν ἡγετῆρα*, comitem, Ducemq; Musarum venerabuntur, ut EUMENII Rhetoris verbum est. Exiguum enim rerum præclare gestarum perciperent fructum belli Duces, nisi esset aliquid, qui eniteretur ne quid ex Virtutibus eorum posteritatem lateat; quiq; factis illustribus: vitam quodam-

H 3 modo

## 16 MART. NESSELII

modo & perennitatem conferat, ac  
fœneretur. Magni homines scribentium  
pennis ab invidiæ nubibus ad æternitatis  
sudum feruntur, & ab oblivionis injuria,  
ad perpetuam celebritatem vindican-  
tur. Abripuit me, serenissime Princeps,  
nescio, quis torrens, & in profunda rerum  
impetu detulit innoxio, margini adhæ-  
rescere, nec ratem isthanc alto credere vo-  
lentem. Eluctor jam, & velificationem,  
quam adornavi, persevero. Et quidem  
jam dudum manus mihi injicit amabile  
illud pacis fovendæ ac tuendæ pariter stu-  
dium, cui, aurigante huc indolis tuæ man-  
suetudine; ab ipsis Principatus tui pri-  
mordiis tam validè insistis, & clavis quasi  
trabalibus affixus es, ut ab eo nulla vi,  
nullâ machinâ dimoveri & avelli posse  
videaris. Igitur cum tam pace, quam  
bello clarum fieri liceat, illud eligis,  
tanto lubentius & alacrius, quantô modis  
omnibus pax bello, & victoriâ est præstan-  
tior. Pax enim per se bonum quiddam est:

vin-



## PANEGYRICUS. 117

vincere nunquam ex eorum genere, in quibus subsistitur, conquiesciturque: sed conducibile tamen quiddam est; at ita demum, si non alia patet ad pacem via. Nec te transversum egit commune vulgi iudicium, qui bellicam gloriam illustriorem ac præstantiorem esse putat. Pacis certè optabilior est. Nam, quamvis gubernationis artem magis sæva commendet tempestas; prospera tamen navigatio, & ventus ferens jucundior est & desideratior. Nec tanti est ægrotare, quod morbi vis & magnitudo industriam medici clariorem reddit, & magis conspicuam. Blandiantur sibi, atque adulentur ambitiosis, & ferè contumeliosis agnominibus, quicumque gloriam suam obsolescere, & in ordinem redigi putant, nisi gentibus bello, quo jure, quâ injuriâ vexatis solitudinem, & vastitatem induxissent. Dicantur Macedonici, Cretici, Numantini, Africani, Asiatici, Dacici, Germanici, Britannici, Dalmatici:

H 4

Tu

## 118 MART. NESSELI

Tu pacificus esse ac dicis mavis, quam bellicosus. Cæterum si ita casus necessitasq; tulerit, ut paludamento togam stylumq; illum tuum pilo permutares, non dubitamus, quin bello gerendo idoneus Dux ac maximè habilis sis futurus, & fortunæ tumultum quemvis, invicto ac constanti pectore perlaturus. Enim verò, qui virtutibus iis coruscat, quibus pacis tempora moderamur, ac transigimus, is ne Imperator quidem malus esse potest. Consiliis enim potissimum bella conficiuntur. Et vis consilii expers, mole ruit suâ, ac labascit. Quæ quidem bella tanto studiosius declinanda sunt, quanto minus ex opinionis, ut sic dicam, formula succedunt; quanto frequentius Mars anceps & defultor spoliantem jam & exultantem evertit; quanto immanius quiddam est, & belluarum similis temerè in acie versari, manu cum hoste configere, & postremò quanto fœdior, terrior, vitiorum ac scelerum colluvies bel-

PANEGRICUS. 119

bellum & præit, & comitatur, & consequitur. Quocirca non invidemus Hercules ac Theseos, Achilles atq; Hæctores fabulosæ antiquitati; non Thebanis suos Epiminondas, Persis Xerxes, ac Cyros, Spartanis Lyfandros, Themystocles Atheniensibus, Alexandros Macedonibus, Pænis Annibales, Scipiones Romanis, Brennos Gallis, omnes, quamvis nolint, cruentos, sanguinarios. Nobis Numa in te arridet, arridet Sal. & quantum est eorum cunque, qui pacem etiam iniquissimam, secuti prudentissimum Romanorum consulem, justissimo bello præferunt; nec in Martium hunc campum, arenamq; bestiariorum descenderunt, nisi summa lacesiti injuria; nisi cum, ut Octavianus dicebat, major spes emolumenti, quam damni metus ostenderetur: alioquin perinde fieri, ac si quis aureo piscetur hamo, cujus abrupti jactura, nullo captu pensari queat: nisi cum desperatâ omni ac deposita reconciliationis via, classicum canat,

H 5

ac



## 120 MART. NESSELII

ac tubas inflet ipsa necessitatis vis ineluctabilis. Sicut Medicorum filii remediis opiatis non utuntur, nisi extremo urgente periculo; nec quoties aliter medicina ægro fieri adhiberi potest, cauteriis agunt rem, aliisque utuntur instrumentis officiosæ crudelitatis. Flagitent bella, & advocent, in quorum magno compendio res multitudinis affligitur; qui in turbido anguillas captare, inque aliorum extrema ærumna, ac miserabili ruina felicitatis suæ ponere amant principium, & incrementum: aut, qui omnem humanitatis sensum exuti, spiritum patriæ elidere, civiumque suorum jugulum infesto & parricidiali mucrone petere, pro ludo habent, ac delectamento.

*Illi nec tribus est, nec fas nec Vestæ, laresque;  
Cujus civili gaudent fera pectora bello.  
Quotidiana & proba vox est M. Aurelii Probi, optare se, ut quod salutare Reipub: eveniat, brevi milites non habeamus necessarios. Idem votum tibi esse,*

## PANEGYRICUS. 121

esse, Celsissime Princeps, idem desiderium, equidem non ambigo. Qui non vana conjectura hariolor, deplorare te sepe numero ac lamentari diluvium illud tempestatis calamitosæ, quod per tanta temporis prolixi volumina dulcissimos Germaniæ nostræ penates, ac lares hospitalitios misera eluvione inundat, obruit ac evertit. Dirutum est jus sacrorum ac profanatum, templa horrenda improbitate exaugurata, polluta religio, morum disciplina luxata, ac penitus collapsa, legum vigor, ac reverentia inter machinarum tonitrua, & fragores silentio oblitterata, ut si quid ipsæ loquantur salutare, nequeant, ut est verbum **MARII**, ob armorum strepitum exaudiri. **JACET** honos, vilescit autoritas studiorum liberalium: neglectui habentur ac insuper Musarum alumni, ac cultores, & quæ maxima seculi fatuitas est, probra quædam ac incommoda generis humani, bonorū ubiq; præmia  
im-

impudenter invadunt, impudentius usurpant. Superfedeo nunc quidem ambitiosa ac diffusa commemoratione, relatuq; incommoditatum, (ut mollissimè uicis istud tangam, & cicatricem tenerrimè refricem,) quæ fonte hoc derivatæ laxissimo alveo longè lateq; defluerunt. Id fidenter asseverabo, nullam esse bello duriorē, asperiorēq; servitutē: siquidem nihil aliud pax est, quàm tranquilla libertas, ut in quodam Dialogo, quem cum Adriano habuit sapiens ille, cujus lucerna fœtilis ter mille drachmis empta est, respondit. Cujus si plenam, genuinam, & nullis fucis, nulla cerussa obvolutam incrustatamq; faciem, oculis tandem usurpare maximam partem Europæi, divinâ benignitate possumus, proh Deum atq; hominum fidem, quanta futura esset animorum, & quam gestiens, quàm exultans læticia! Credibile est non minores plausus ac vociferationes fore, communis gaudii testes, quam cum veterem

rem statum Græciæ restitueret Quinctius  
Flaminius in solempni Græcorum con-  
ventu. Ubi enim per præconem eos sine  
præfidiis liberos esse iussit, ut legibus  
viverent suis; inopinato gaudio homi-  
nes perculsi, primò obticuerunt, iteratâ  
verò præconis voce, tanto cœlum cla-  
more impleverunt, ut isthac vocum colli-  
sione aër, quo se suspendunt ac librant  
alites, dissiparetur, ac contorqueretur,  
& corvi fortuitò supervolentes in sta-  
dium veluti attoniti, & vertiginosi deci-  
derent.

*Hoc precor, hunc illum nobis Aurora ni-  
tentem,*

*Luciferum admisis candida portet  
equis.*

Isthæc verò quietis, ac tranquillitatis dul-  
cedo, qua tantopere animus tuus, PRIN-  
CEPS, velut obsonio quodam alitur pa-  
sciturq; , & pertinax illa belli declinatio  
ac fuga, nōne potissimum doctrinæ tuæ  
imputanda sunt ac debentur? Videlicet

ea

ea est artium ingenuarum indoles, is genius, ut hominum mentibus clementiam, humanitatem, & benignitatem superaddant, & circumfundant, eosque quasi mitigent, tranquillent, ac cicurent. Sicut ex adverso ruditas, & supina literarum ignorantia hominem efferat, & brutis bestiis reddit quam similimum. C. Valerius Licinius hercle non postremam tyrannidis ac atrocitatis suæ causam habuit extremam inscitiam, & quam subinde frequentabat barbaram vocem, *Venenum & pestis sunt Reipub: literæ*. Ut de Maximino, Decio, Gallieno, monstris ex crudelitate ac inscitia confutis, confatisque nihil in præsentiarum referam. Nec longè ab hac asseveratione abit sapiens vetustas, quæ silvestrium populorum horridos ac immites animos docta suavitate linguæ, & prudentiæ salubribus monitis primitus conciliatos esse inter se, vitæque emendatio-



PANEGYRICUS. 125

tiori, ac moribus civilioribus initiatos  
pariter atque adsuefactos, passim com-  
memorat. Cicero autor est Epistolâ verè  
Principe ad Quinctum fratrem, eidem  
hoc, quod magnum & difficile cæteris  
fuerit, continere nempe eos, quibus præ-  
sis, & fuisse semper facilimum, & verò esse  
debuisse: cujus natura talis esset, ut etiam  
sine doctrina videatur moderata esse po-  
tuisse: eam autem adhibitam esse doctri-  
nam, quæ vel vitiosissimam naturam ex-  
colere possit. Vero itaq; cõsentaneum est,  
literis deditum Principem, & amorem pacis  
ex iis imbibere, & administrandi populi  
longè difficilimã haurire rationẽ ac pro-  
mere. Illæ enim sunt quæ depositarios sa-  
lutis publicæ Principes magna oneris par-  
te levant, & imunes a favore, à frigore, sine  
spe, sine metu, purâ & incorrupta cõsiliõrũ  
veritate, rerumq; exquisita prudentia infor-  
mãt, & ad recti honestiq; decus ac pulchri-  
tudinẽ ex amussim fingunt, ac præparant;  
tutissimi regiminis regula quædã, & certi

Ju-

Judicii norma maximè æquabilis. Laudabile quapropter est Persarum, gentis nobilissimæ, institutum; qui ne quidem regum Liberis Cidarin, ut vocabant, Diademamq; imponebant, nisi ante Magorum, hominum omni doctrinæ ac virtutis genere instructissimorum disciplinam, scientiamq; percepissent, & siquidem hominem, animal indomitum frenare velint, sapientissimi essent. Princeps certè, qui doctrinam adversatur & fastidit, quid est aliud, quàm pecus aurea cujus precium cutem non excedat? Naso duci illum, ritu bubali oportet, & huc illuc impelli, ut nervis alienis mobile lignum. Nec tam ipse imperio præest, quam is, quem super te qualibet consulere habet necesse; & à quo in lapide etiam, secundùm Comici verbum, stans ita vendi potest, ut ne se venditum quidem esse sentiat. Ridiculus est, & deplorandus pariter Theodoricus ille Gothorum Rex, adeò illiteratus, & sensu tam obtuso, ac hebeti, ut in decem

cem  
subf  
igitu  
subf  
ac pe  
ptio  
Rege  
tatis  
briu  
nabi  
saper  
Ut j  
esse  
mem  
tudini  
rect  
tam  
pita  
mitr  
coge  
obsta  
inge  
prud

## PANEGYRICUS. 127

tem ipsis regni sui annis, nomen Edicto  
subscribere doceri nequiverit. Lamina  
igitur interrasili usus est: quam, quoties  
subscribere vellet, super chartam posuit,  
ac per eam pennam ducebat, ut subscri-  
ptio ejus tantum videretur. Hoccine est  
Regem esse, ac non potius alienæ volun-  
tatis libidinisque mancipium, ac ludi-  
brium? istine alios rectè ac ordine guber-  
nabunt, qui in omnibus alieno ingenio  
sapere, alieno ore loqui, necesse habent?  
Ut juxta ferè & idonea excusatione usus  
esse videatur T. Manlius Torquatus, quem  
memoriæ proditum est, oculorum vale-  
tudinem causificantem, consulatum de-  
rectasse, quod indignum duceret, rem  
tam seriam arduamque, unde civium ca-  
pita & fortunæ pendulæ essent, ei com-  
mitti, qui alienis oculis omnia gerere  
cogeretur. Quamvis orbitas luminis nihil  
obstare potuerit, quò minus Appius acie  
ingenii optimè consuleret, & patriam  
prudenter ac salubriter administraret.

I

Sum-

Sumis quidem imperii moderatoribus pia  
& decora suadentes, instrumenta esse boni  
seculi, esse pacis ornamenta, esse oculos  
Principum, ac manū, vera est autorum sen-  
tentia: non arbitrari tamen, examinare, &  
ad iudicii, ut sic dicam, lancem appendere,  
consiliorum pondus Principem, servitutis  
nescio quid, & animi obnoxii, & allucina-  
bundi habere, ac præ se ferre viderur. Tibi,  
sapientissime Princeps, divini fontis est  
ingenium, & omnium virtutum prompta  
natura. Sed ut imagine uti liceat, veluti  
optimos gubernatores mediocriter etiam  
remigum manus juvat: sic tu commone  
Te fieri interdum à prudentiæ consultis,  
eorumq; uti frui consortio, ac familiari-  
tate non recusas. Placet quippe in alio  
sua unicuiq; virtus, & indoles; doctri-  
naq; fulgor admodum pulchritudinis &  
exemplum, in quovis corpore collocatus,  
amorem ubiq; sui vel reperit, vel conciliat.  
Semper verò Principum non dege-  
neres eruditionem non minus ambitiosè,  
quàm

PANEGYRICUS. 129

quàm potestatem vindicabant: & aut ipsi  
in literarum studio solertes se ac gnavos  
dedere, aut eos, quorum ingenia mira-  
bantur illustri favore ac gratia comple-  
tebantur, palatiisq; suis, ac celeberrimis  
quibusque conventibus immergebant.  
Syracusanus ille, quam doctrinam habue-  
rat, Principatus ornamentum, eam dein-  
de calamitatis solatium, ac allevamen-  
tum, è Tyranno civis Corinthi factus, so-  
lam ex tot opibus è Sicilia abstulit. Fuêre,  
qui assiduè cum Ennio, cum Terentio, ele-  
gantiarum omnium parente, scriberent.  
Cn. Pompejus, cùm è bello Mithridatico  
victor Rhodum veniret, Professorum  
omnium ædes sigillatim circumivit; &  
fasces illos laureatos privatorum januis,  
quas à lictore etiam de more percuti no-  
luit, submisit, is, cui se Oriens, Occidensq;  
submiserat. Tiberius, in eadem urbe, circa  
Scholas, & auditoria Professorum, ut sunt  
verba Tranquilli, assiduus fuit. Claudius  
verò Imperator inopinatus, sæpe recitan-

I 2

tibus

## 130 MART. NESSELI

tibus interveniebat. Carolus ille, bellicâ gloriâ & felicitate verè Magnus, in omnibus itidem eruditionis partibus ac honestamentis magnus erat, ac consummatissimus; studiorumq; juxta ac religionis in his Saxonix inferioris locis propagator incomparabilis. Ottones, æterna illa Saxonica familiae decora, in re literaria ad miraculum usq; & stuporem excellere. Horum secundus, hoc operæ, quam in Musarum cultu posuit, precium retulit, ut Romanorum & Beneventanorum culpa in Italia à Saracenis, quorum pallida mors dicebatur, victus, & in fuga à nautis interceptus, cum se militem gregarium simularet, & eadem facilitate Græcè, quâ vernaculè loqueretur, persoluto lytro, incolumis, nec agnitus evaserit. Carolus IV. frequentior inter literatos, quàm purpuratos visebatur: & scitamenta ciborum, disertationibus doctorum longè posthabuit. C.V. de quo verius fortasse, quàm de Rolando C. Magnus usurpare possumus,

*Nulla*

PANEGYRICUS. 131

*Nulla ferent talem secla futura virum:*  
cum omnibus Imperatore dignis arti-  
bus impendio, tum verò Thucydidis hi-  
storiâ supra modum oblectabatur. Extat-  
que benevolentia ejus ac propensi favo-  
ris in viros prudentia, & rerum civilium  
usu ac experimento præstabiles illustre  
testimonium, quod hercules dignissimum  
est, ut ex memoria & animo Principum  
nunquam deleatur, oblittereturq;. Vlys-  
singæ aliquando ventos navigationi ido-  
neos expectabat, & in multam noctem  
cum Sigismundo Seldio sermones cæduos  
reciprocabat. Interea verò familia omni,  
sive dormitante, sive alibi divagante, &  
nemine ad signum nolæ apparente, SEL-  
DIO discessuro, verecundè quamvis ac  
reverenter tergiversanti, arreptum lych-  
num ipse prætulit, pèrq; gradus homi-  
nem deduxit: hoc tibi monumentum, in-  
quiens, Cæsaris illius habeto Seldi, tot  
exercitibus, tot excubiis quondam stipati,  
quem nunc solum, & à comitatu etiam

132 MART. NESSELI

desertum vides: Et cui tot annos serviisti, is tibi nunc etiam servit, ac lychnum prætulit. Æmulus Caroli perpetuus ac competitor Franciscus Galliarum Rex, primus velut è Franciæ speculâ signum extulit, facemq; ad liberalium disciplinarum iter perficiendum accendit, & ostendit: quæ ipsius singulari munificentiâ, eam lucem ac splendorem receperunt, inque id sublimitatis ac fastigii evectæ sunt, ut Gallia, fœda ante barbarie, ac incultu fordens ac squalida, incredibili literarum ad humanitatem compositarum nitore emicuerit, & ex lutea, aurea quasi relicta fuerit. Henricus octavus, Britannix Rex, eruditissimus ipse, eruditos veluti cohortem quandam Palladium in prætorio habuit; quo tanquam satellitio succinctus & instructus, visendus Rex, & augustior aliorum fastigio, prodiret in publicum, procederet in consilia, iisque tanquam insignibus aulam suam distingueret, & exornaret. Jacobus, primus Britan-

nia-



PANEGYRICUS. 133

niarum Monarcha, Mulas familiarissime in secretum admittebat, gloriamque sapientiae, & exquisitam optimarum artium cognitionem cum summa potestate felici junxit consortio. Regio ipsius dono; quo ad omne officii munus finxit ac conformavit filium, nihil potest dici abundantius præceptis institutisque veræ virtutis ac prudentiæ. Stephanus Batorus Poloniæ Rex potentissimus, omni elegantis doctrinæ genere mirificè excultus, in Italiam usque prolixis itineribus miserat, & maximis impensis è domesticis suis unum, qui quasi delectum quendam habeat præstantium doctrina virorum, eosque opimis admodum propositis conditionibus in Poloniam invitaret.

*Landgraviorum Hassiæ biga,  
Magnanimus pater, & magni patris æmula  
protes,*

VWilhelmus, & Mauritius, tam profundè in arcana & adyta rerum, quæ ab humano ingenio indagari, ac cognosci possunt,

## 134 MART. NESSELI

oculos mentis ac aciem penetravere, ut  
alter ob inusitatam & admirabilem sa-  
pientiam Salomon; & ob raram maxi-  
mamq; cum artium cæterarum omnium,  
tum vero Matheseos præcipuè scientiam,  
Aquila Astronomorum: alter editis in lu-  
cem publicam ac perennitati omnium  
seculorum consecratis divini ingenii, ac  
omne genus disciplinarum monumen-  
tis, Musarum Phœbus, Literarum helluo,  
ac gurges, nuncuparentur, universumque  
doctrinæ, ac vastum orbem animo inex-  
hausto complecti, non falso crederentur.  
Fidem verò superare & excedere videtur  
exemplum, quod quamvis vetustatem sa-  
piat, dignum tamen est, quod vel primo  
loco ponatur. Johannes ex regia & Illu-  
strissima domo Megapolitana oriundus,  
ex quâ tu, Princeps, ingentis animi, o-  
mnique laude sublimiorem Heroinam, so-  
ciam tori ac consortem, irruptâ copulâ,  
mansuroq; fœdere, bono patriæ, jungere  
tibi voluisti. Primislai ultimi Vandalo-  
rum

PANEGYRICUS. 135

rum Regis, qui primus ex illa gente, in  
genitura mystica sacramento Christianæ  
fidei adactus est nepos, Henrici Burevini,  
Ducis potentissimi filius, cum patriæ vel-  
let patrem dare, idq; sine literarum bene-  
ficio minus se commodè præstare posse  
animadverteret, Academiam Parisiensem  
petiit, & indidem viginti annis ipsis glo-  
riosè in studiorum cultu traductis, S.S.  
Theologiæ Doctor creatus est, ac postea,  
quantum supererat ævi, patriam felicis-  
simè administravit. Henricus Julius, Dux  
Brunovicensis & Luneburgensis illustris-  
simus, cujus tu nunc defuncto fatis ac  
mortalitate, citra sobolem sexûs utriusq;  
Friderico Ulrico filio, Principe, pacis ac  
religionis amantissimo, jure tuo, ac sorte  
nascendi, in Ducatu nobilissimo successor  
existis, ac provincias amplissimas legum  
moderaris habenis, maximis & ingenti-  
bus animi dotibus non paucos Germaniæ  
Principes antistabat ingeniiq; tanto erat  
vigore, tamq; ubere fœcunditate, ut quod

## 136 MART. NESSELI

aliis anxia & morosa vix præstaret cogitatio, hoc illi daret, prima & facilis animi contentio. Facescat igitur, atq; in Morboniam abeat, Æneæ Silvii, quem postea fortunæ desultoria levitas Pium fecit secundum, infidiosa ac vaferrima sententia, qua olim Romani Imperii Septem-viris imponere, ac ora sublinere allaboravit; cum asseveraret rudem, desertumq; ac nudum à literis Principem, Reipub: Christianæ gubernaculo longè esse utiliozem, quàm si doctrinæ copia abundantem legerent. Cui enim imperitiæ istius patroni fraus non pellucet? qui per Cæsareæ potestatis infandam ruinam, solii pontificis autoritatem amplificare contendit. Sed ut qui elegantibus est oculis, eum Apellis alicujus tabulam juvare necesse est: sic literæ, per quas in pleniorum animi opum possessionem venimus, & quibus in hoc mortalis vitæ labyrintho Principibus perest opus, non minus, quàm filo Ariadnes Theseo, haud curvis & malè feriatis gratæ  
sem-

PANEGYRICUS. 137

semper fuere , ac naturis desiderabiles.  
Tibi , Serenissime Princeps , cum primis.  
Cujus animum à puero tam validè sibi  
devinxere, ut vita Tibi, absq; iis foret, vi-  
talis minimè esset; utq; curas tuas omnes  
ac cogitationes, perpetuo quodam illicio  
ac invitamento ad se derivent, ac rapiant.  
Non secus ac Siderites arcana naturæ po-  
tentia annulum ad se trahit, à quo pari  
tenacitate alii apprehenduntur atq; alii ;  
donec quamplurimis inter se aptis atque  
nexus, catenæ quoddam simulacrum con-  
stituatur. Maneat hoc doctrinæ , & erudi-  
tionis inclitum decus, domui tuæ ac fa-  
milix proprium ac peculiare ; nec un-  
quam interruptâ ferie deficiat, atq; obso-  
lescat. Et quia, per tempora hæc turbu-  
lenta & inquieta, Musarum passim tem-  
pla ac delubra fæda vastitate squalent, ac  
desolata procumbunt, nec honestissimis  
studiis suis constat cultus atq; observan-  
tia ; ipse literarum præses Apollo, cum  
Pallade oliviferâ supplices tibi tendunt  
ma-


138 MART. NESSELII

manus, & negocium hoc curæ ac fidei tuæ  
solicite committunt, ac deponunt, ut  
quemadmodum hucusq; fecisti, in poste-  
rum quoq; , quantum in Te erit, optimas  
artes foveas ac propages: ut elegantia, &  
ad laudem nata ingenia, quæ indignitate  
temporum pressa, ac injuria, vix sese in-  
veniunt ipsa, nec mentem instituere  
queunt ac ullam præclaram cogitationem,  
conatusque sublimes, è tenebris, sitúque  
eruas. Nihil tam magnitudinem decebit  
tuam, quàm si prolixam illam, & benefi-  
cam voluntatem, quàm liberalissimè in  
ornamenta studiorum, quoties sic tem-  
pus postulat aut res, impendere soles, in-  
genti hac cumules & luculèta accessione.  
Sic, quam imortalitatem jam dudum me-  
ruisti, ejus spe ac expectatione, tanquam  
nobilissimo præmio ac hostimento, con-  
scientiam tuam solaberis, ac oblectabis.  
Ego inter eos, qui virtutum tuarum in  
contemplatione ac miraculo defixi, non  
fortunam in Te tuam, sed Te in fortunâ  
tuâ

## PĀNĒGYRICUS. 139

tuā colunt unice ac venerantur, gradu & censu plurimis impar, animo & affectu vix cuiquam secundus, pulvinari tuo simplex hoc ac sincerum, donarii loco, infero votum, ut propitia fata, quæ supra nos negocia humana curant, incolumem Te, ac sospitem quàm diutissimè seculo refervent, ac serā nepotibusq; demum nostris nota die, natali cœlo redonent: ut in mansura per omne ævum, ac cum ipsa diuturnitate mundi feliciter ac ex æquo duratura, illustrissimi sanguinis Tui familia, florescas semper in animis hominum, celebrerisque omnium linguis, ac encomiis, Princeps sine exemplo, sine pari, verè pius, verè justus, verè literatus, verè Augustus.

FINIS.





I

pag. 40.

Heinr. mirab.

Ernstus

Albertus.

Ericus

Albertus

Philippus

Philippus ulti  
1596.

Otto Harbu

Otto

Vilhelmus

Lin. Grubenhagenensis.

Lin. Harbu

BUL  
te  
CU  
e I  
LL



T A B U L Æ

Genealogicæ Paternæ, Maternæ

& Conjugiales, SPECULO AUGUSTO

Addendæ 1644.

---

Typis STELLARUM.





26. A

30. Ber

31. Fric

gensis

A. C.

1. C. Actius. 390.
2. C. Actius. 411.
3. Aurel. Actius. 418
4. Tiberius. 428.
5. Alporisius. 478.
6. Maximus. 538.
7. Bonifacius. 556.
8. Valerianus. 591.
9. Aldoardus. 638.
10. H                    tus. 694.

W

Fri  
ur.  
Ma  
Jo  
Ma  
Fr  
M  
Al  
A  
H  
I  
F  
S

ensis & Lunzel

Ursula Ducissa Saxonie inferioris.

Francisc. Dux Sax. infer.

Magnus Dux Sax


Cath. Duc. Brunf

Sibylla Duc. Sax


Heinric. Dux Sax



Henricus Junior Dux Brunovien-  
censis & Lunæburgensis



Ursula Ducissa Saxonie inferioris.



Ericus 3. Saxon. inferior. Dux.  
Catharin. Duc. Brun. & Lunæb.  
Bugislaus 2. Dux Pomeraniæ.  
Sophia Marchionissa Moraviæ.  
Frideric. I. Elect. Brandenb.  
Elisabeth Duc. Bavarix.  
Frideric. Elector Saxonix.  
Cathar. Duc. Brun. & Lunæb.  
Vilhelm. Sen. Dux Brun. & Lun.  
Cæcilia March. Brandenburg.  
Botho Comes Stollbergensis.  
Anna Comes Schwartzenb.  
& Vratislaf Dux Pomeraniæ.  
Sophia Duc. Saxon. inferiori.  
Bugisl. Duc. P.

Catharina Duc.

Super.

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100



5

Bog  
Am

Phi  
Ma

Ern  
Hi  
W  
Ma  
O  
A  
Er  
El


ranæ

Dorothea Princeps Anhaltina


Rudolphus Princ.  
Anhaltin.  
Joach. Erne  
Eleonora I

Dorothea  
Brun  
Hentricus Ju





Dorothea Princeps Anhaltina



	1.	§ Georgius Princ. Anhaltinus.
		} Anna Com. Rupinensis.
	2.	§ Henricus Dux Münsterberg.
		} Ursula Marchio: Brand.
st. Princo.		§ Johannes Elector Brand.
		} Margareth. Ducissa Saxon.
	3.	§ Johannes Rex Daniæ.
		} Christina Duc. Sax. Super.
	4.	§ Henricus Comes VVurtemb.
		} Eva Comitissa Salmensis.
	5.	§ Albertus Dux Bavar.
		} Cunigundis Archid. Austr.
duc VV	6.	§ Frideric. March. Brandenb.
		} Sophia Regina Pol.
	7.	§

1.

C

He

Do

Jol

Dorothea D

advv. Duc.

vic.



[Albe

[Ann

[Alb


Do

Frid

Sop

Me

Phi




F I N I S.





Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines across the page, but the characters are too light and blurry to be transcribed accurately. Some faint words like "Herrn" and "Herrn" are visible.

























17WA 1824

Bl. 179 m







AUGUSTI  
 DUCIS BRUNOVICENSIS  
 & Luneburgensis  
 FAMA  
 non moritura,  
 revocata  
*Calamo*  
 JOANNIS HENRICI BOCLERI,  
 (o)  
 Typis STELLARUM,  
 M. DC. XLV.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8

Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

